CONFVTATIO

NOVITIAE

FIDEI, QVAM

vocant Specialem.

Authore Ioanne Hessels à Louanio,
Sacræ Theologiæ Professore.

Adiunctus est & tractatus de Cathedræ Petri perpetua protectione & firmitate, eodem authore.

TERTIA EDITIO.

LOVANII.
Ex officina Ioannis Bogardi Typogr. Iurat. Sub Biblijs Aureis.
Annò 1568.

AVTOR LECTORI.

CHristiane Lector: quidam grammaticus Dusseldorpensis, Ioannes Monhemius, ex Caluino & alijs huius temporis hæreticis collegit Catechismum quendam in dialogos: in quibus Patrem & Filium colloquentes introducit. Aduersus huius Catechismi quasdam partes hæc tibi tradimus: plura, si Deus dederit, suo tempore de controuersis dogmatibus adiecturi. Bene vale.

REgiæ Maiestatis priuilegio permissum est Ioanni Bogardo, bibliopolæ iurato, vt intra octo proximos hosce sequētes annos imprimat quosuis Ioannis Hessels a Louanio sacræ Theologiæ (dum viueret) in Academia Louaniensi professoris libros; tam eos, qui typis excusi sunt, quā qui postmodum excudētur. è quorū numero est & hic libellus de Fide speciali. Et simul quoque interdictum est alijs omnibus, quicumque demum illi sint, ne eos imprimant aut alibi impressos in ditiones Regiæ Maiestatis distrahendos importare tentent sub grauibus pœnis, quas literæ exprimunt,

Datæ Bruxellis, *die 12. Decēbris. Anno 1567.*

Subsignata, de VVitte.

De Fide, & Spe iustificante ex Catholicorum iudicio. *Caput. I.*

FIdes illa, Catholicorũ iudicio, ad iustitiam ducit, qua Deus creditur paratus peccata omnibus pœnitentibus & inuocantibus se per Christum, in Sacramento Baptismi vel reconciliationis ignoscere. Item, qua creditur quotidiana iustorũ peccata cõdonare inuocantibus se per eundem Christũ crucifixum, dum ea derelinquunt, & dimittunt peccãtib⁹ in se, atq; eleemosynis insistunt. Item, qua creditur daturus bona opera inuocãtibus se per Christum, & perseuerãtes in illis, per eundem Christum resuscitaturus, eisq; merito ipsorũ bonorum operum vitã æternam redditurus. Spes autem, in Dei potentia & misericordia cuique nascitur, cúm primum fuerit bonæ voluntatis; cum primum cœperit esse bonæ conscientię, cũ primũ desideriũ pœnitẽtiæ & bonæ vitæ cõceperit: spes, inquã, de venia percipienda, & vita bona atque æterna. Huic spei timor cõnexus

est ex consideratione diuinæ iustitiæ, & humanæ malitiæ, crebrò nimis & occultè in corde latentis. Item, ex consideratione humanæ impotẽtiæ ad beneagendũ & perseuerandũ, siunq; Dei desit auxiliũ, quod ille, cui voluerit, donat.

De hæreticorum & Monhemij fide. *Cap. 2.*

LOngè aliam fidem Institutione Ioannis Caluini profert Monhemius quam his verbis exprimit. [Fides est certa, firmaque persuasio beneuolentiæ Dei erga nos propter Christum. Hanc auctor epistolæ ad Hebræos ita finit, vt sit illud quod facit vt extent quæ sperantur, & demonstrat quæ non cernuntur. Per ὑπόστασιν, (quo nomine vtitur) basim & fundamentum intelligit, quo pius animus tutò innitatur & incũbat. Ac si dicat; Fides est certa et secura possessio eorum, quæ nobis a Deo promissa sunt & quia hæc speramus, ideo non videntur. ἔλεγχος, id est, certum indicium, experimentũ, demõstratio, vt idẽ hoc loco sit, quod ὑπόστασις, & ita ἐλπιζομένων idem quod οὐ βλεπομένων, sic posteri⁹ membrum (quod frequens est apud Hebræos) exponit prius, vt sit sensus: Fides est rerum quæ non videntur, sed sperantur certa demonstratio. Per ea quæ non videntur, intelligit æterna & diuina etc.]

Hebr. 11.

Et infra. [Is itaq; (ait) verá habet fidẽ, qui certa ac firma persuasione Deũ sibi esse propitiũ, beneuolũq; patrẽ sibi persuasit, de illius beneuolẽtia omnia sibi promittit: diuinę erga se benignitatis promissionibus fretus solidam æternæ salutis expectationem prætendit.] Hæc Monhemius,

Ad verbum ex Caluini. Institutione.

Fidem

Fidem huiusmodi esse nouitiam. *Cap.3.*

HÆc fides, qua quisque certo statuit, sibi remissa peccata propter Christum: siue ea doctrina, qua docetur is habere peccati veniam, qui per Christum eam se iam habere firmiter statuit, non est expressa in Symbolo Apostolico, aut Nicæno, vel Constantinopolitano, aut Athanasij. Et Augustinus cùm libro de fide & symbolo, & in Enchiridio exponat Apostolicum symbolum, atque expresse illam eius partem *Remissionem peccatorum*, huius tamen fidei non meminit. Quinimò, docet Deũ in ignoscẽdis criminibus respicere mẽsurá doloris & cordis cõtriti. Fulgentius quoq; & Ruffinus, dum ea quę fidei sunt exponunt, ne verbum quidem de hac fide faciunt: cum tamen putent, se tradere eam fidem quam Apostoli tradiderunt, & qua coram Deo iusti fimus. Postremò, neque Irinęus lib.1.c.2.aduersus heręses, recitans fidem quá Ecclesia ab Apostolis & à discipulis eorum accepit, neque Basilius, de vera fide loquens, neque Epiphanius in fine Ancoratus fidem hanc cognouerunt. Proinde, nouitia est hæc fides, & veteri Ecclesiæ ignota. In Symbolo enim apostolico credimus non solùm remissionem peccatorum, sed etiam sanctam Ecclesiam catholicam, vitá æternam. Sicut igitur Symbolo Apostolico non confitemur, nos iam habere vitam æternam, ita non est necesse, vt qui credit remissionem peccatorum, credat simul se iam eam assecutum: sicuti nec necesse est ei qui cre-

Cap. 64.

Cap. 65. Enchir.

In lib de fide ad Petrum.

Prooemio secũdo moralium.

dit Ecclesiam catholicam, se quoque iam de Ecclesia catholica esse credat Catechumeni enim credunt esse Ecclesiam catholicam, atque in ea remissionem peccatorum obtineri: cui dum per baptismum incorporari volunt, se necdum in ea esse agnoscunt, & per baptismum remissionem peccatorum expectant, iuxta Symbolum Constantinopolitanum, agnoscentes se ante baptisma non esse liberatos â peccato.

Hanc fidem non iustificare, patet, quòd & in hæreticis inueniatur. *Caput.4.*

SEcundò, persuasio est etiam in ijs, qui integram fidem non habent, sed hæretici sunt: vt in Eunomio, de quo scribit Augustinus libro de hæresibus ad Quoduultdeum Fertur, inquiens, vsqueadeo fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseuerantia peccatorum, si huius quæ ab illo docebatur fidei particeps esset. Item in ijs esse potest, qui credunt sola fide hominem saluandum etiam si bona opera non habeat: contra quos agit Iacobus Apostolus, & Augustinus, libro de fide & operibus, & libro 21. de ciuitate Dei, caput.21. & 25. Igitur non est verum, eum qui habet hanc fidem, qua statuit sibi iam remissa esse peccata, habere remissionem peccatorum. Hæreticus enim veniam peccati non habet, Sic et ex hodiernis hæreticis aperte cõuincere possumus huius fidei vanitatem. Cùm enim nemini dubium sit, Deum grauiter

Iacob 2.

irasci

irasci falsæ religioni, & qui eam amplectitur, apud Deum non habere veniam: notissimum quoque sit, Lutheranos et Sacramētarios Caluinistas & Brentianos, in rebus grauissimis christianæ doctrinæ a se mutuo dissidere: consequens est, alteram partem eorum, ita contra sese confligentium, manere in ira Dei; & tamen ipsi ad vnum amnes constanter docent, cuiuis credenti & statuenti firmiter sibi esse peccata rēmissa, verè indubieque iam esse remissa: omnes statuunt sibi esse peccata remissa. En itaque clarissimum & insolubile argumentum, Satanicam esse doctrinam hæreticorum huiusce temporis. O Lutherane, tu dicis: Crede tibi remissa peccata, & sunt remissa. Caluinista credit sibi remissa, & tamen negas, ei esse remissa. Cernisne quomodo tuum euangelium seipsum euertat: dum hoc & Caluinista recipit, qui tamen ad Christi euangelium, te etiam iudice, non pertinet? Hæreticos igitur ex suo ipsorum ore conuincimus. Cum enim aiunt Caluinistæ, Crede Deum tibi placatum, & placatus est, statim dicimus; Hoc & Lutherani credunt, & tamen, vestro etiam iudicio, verbum Dei peruertunt, atque in ira Dei manent.

Dicit Caluinus: [Ad tempus quidam credere dicuntur, in quibus verbi semen antequam fructificet præfocatur, aut etiam nullis dum actis radicibus, mox arescit ac deprimitur. Tales enim non dubitamus quodam verbi gustu affectos ipsum auide arripere, & diuinam eius virtutem persentiscere, vt fallaci fidei

ſimulatione non hominum oculis modo imponant, ſed ſuis ipſorum animis: ipſiſsimam enim pietatem eſſe ſibi perſuadent illam, quam Dei verbo deferunt reuerentiā, quia nullam eſſe impietatē reputāt niſi manifeſtū & confeſſum eius probrum, vel contemptum. Qualiſcūnque illa eſt aſſenſio, ad cor ipſum vſque minime penetrat, vt illinc defixa reſideat: & nunquā radices egiſſe interdum videatur, viuæ tamen illæ non ſunt. Tot vanitatis receſsibus, tot mendacij latebris ſcatet cor humanum, tam fraudulēta hypocriſi obtectum eſt, vt ſeipſum ſæpe fallat,] Cur igitur, ò Caluine, non etiam qui verè credit Deum ſibi propitium, meritò metuat, ne forte ſibiipſi imponat? Certe cùm ais, eum qui certò aſſeuerat ſibi ſua delicta remitti, Deum habere fautorem, & ſimul dicis, non paucos hac perſuaſione ſeipſos fallere: iam hac poſteriore ſententia illam priorem euertis.

Reijcitur eadem doctrina, eo quòd doceat non timere Deum vt iudicē & vindicem peccatorum. Ca. 5

TErtio, hæc perſuaſio tollit timorem diuinæ ſeueritatis atque iudicij, dum iubet hominē eſſe ſecurum. Audet enim Monhemius dicere: [Timendus eſt Deus, non vt Iudex ſeuerus, non vt delictorum vindex, ſed vt pater benignus] quemadmodum & Caluinus ait. [Fidem memoria diuini iudicij lacerari] Quaſi fides iuſtificans laceretur, ſi cogitetur Deus talis eſſe, qualis haud dubie eſt iuſtus, iudex: quaſi nequeat in animo hominis catholici

tholici cognoſci diuinum iudicium, & ſimul haberi fides integra miſericordiæ, ſicut in Deo optime miſericordia & iuſtitia conſonant. Longe aliter Dauid fidelis, Miſericordiam & iudicium, inquit, cantabo tibi domine: Et, Vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius. Et cum in primo mandato deſcribat Deus, ſe peccatorum vindicem, Ego, inquiens, ſum Deus fortis, zelotes viſitans iniquitatem etc: Monhemius ita id explicat, vt ab eius conſideratione nos auertat: idque prætextu fidei in Chriſtum, quaſi Chriſtus venerit ſoluere legem, non implere. Si Deus non eſt metuendus vt vindex delictorum: vbi locum habebit verbum illud Sapientis, Altiſsimus eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu? Et vbi illud Chriſti: Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam? Vbi item illud Hieremiæ: Me ergo non timebitis, ait Dominus, & a facie mea non dolebitis? Illud quoque Malachiæ: Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Quanto fideliùs Monhemio Cyprianus Deus, inquit, quantum pietate patris indulgens ſemper & bonus eſt, tantum iudicis maieſtate metuendus eſt? Quanto item fideliùs Gregorius: Quod (inquit, ad Gregoriã ſcribens) dulcedo tua in ſuis epiſtolis ſubiunxit, importunam ſe mihi exiſtere, quoaduſque ſcribam mihi eſſe reuelatum, quia peccata tua

[Margin: Pſal 100. | Pſal. 24. | Exod. 20. | Matth 5. | Eccli. 5. a | Matt. 10. | Hier. 5. | Mal. 1. b. | Serm. 5. de lapſis. | Li. 6. epiſtolaru. epiſt. 22.]

tua dimissa sunt : Rem & difficilem , etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum , cui reuelatio fieri debeat : inutilem verô , quia secura de peccatis tuis fieri non debes , nisi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata tua minimè valebis. Quæ dies quousque veniat , semper suspecta , semper trepida metuere culpas debes , atque eas quotidianis fletibus lauare. Certe Paulus Apostolus iam ad tertium cœlum ascenderat , in paradisum quoque ductus fuerat , arcana verba audiuerat , quæ homini loqui non liceret: & tamen adhuc trepidans dicebat.

1.Cor.9. Castigo corpus meum , & seruituti subijcio , ne forte alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui iam ad cœlum ducitur , & iam timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur? Perpēde, dulcissima filia , quia mater negligentię solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem , per quā negligens reddaris.

Prou 28. Psal.2. Scriptū est enim Beatus vir qui semper est pauidus: & rursus scriptū est. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo huius vitę tempore mentem vestram necesse est vt tremor teneat , quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet . Hæc Gregorius.

Sed vide , quo argumento docet Monhemius, Deum non timendum vt iudicem . Quærit Pater : [Quomodo Deum simul timere & diligere possumus , cûm Apostolus dicat : Perfecta dilectio foras mittit timorem.] Respondet

filius

filius.[Hoc de seruili timore intelligendum est, quo cor horribili timore fugit Deum. Hic de eo timore loquimur, quo filius patrem timet, honeste se gerens, illi obtemperans, non quia metuat verbera, sed quia pater est, cuius reuerentia illum a malefactis auocet. Timendus est igitur Deus, non vt iudex seuerus. non vt delictorũ vindex, sed vt pater benignus, augustus,] Hoc est quo rudiores maxime decipiunt hæretici, quod scilicet semper docent agnitionem peccati, et timorẽ supplicij abducere nos a Deo: quod docẽt omnẽ qui timet suppliciũ, eo timore Deũ fugere. Ideoq; hortãtur peccatores, vbi semel territi fuerint Dei iudicio & seueritate, suorũque expensione peccatorũ, oculos suos statim auertere a peccato atq; supplicio, & a iusto Dei iudicio: Contrario nimirump siritu spiritui prophetico, ex quo dicebat Dauid: Cogitabo pro peccato meo: &, Iniquitatẽ meã ego cognosco, et peccatum meũ cõtra me est sẽper. & August. Meritò, inquit, rogas, & bene rogas, vt Deus auertat faciem a peccato tuo, si tu inde non auertis faciẽ. Si vero tu peccatũ tuũ in dorso ponis, Deus ibi faciẽ ponit. Tu peccatũ tuũ ante faciem tuam conuerte, si vis tu inde Deus faciem suam auertat: & sic securus rogas & exaudit.

Psal 37.
Psal. 50.
In Psa. 50.

Hac ratione docent consequenter hæretici solam Dei misericordiam considerare: contra illud prophetæ eiusdem, Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Nos autem dicimus, agnitionem peccati, & timorem diuinæ seueritatis

Psal. 100.

ueritatis non abducere hominem a Deo, nisi hæc separentur a fide Christi mediatoris, qua creditur Deus, confugientibus ad se per Christum, paratus ignoscere: aut cum ea quidem sint fide, sed sine spe veniam obtinendi: quæ solet ijs fidelibus deesse, qui vsqueadeò amant peccatum vt nunquam per Christum ad Deum pro venia confugere velint. Tunc siquidem homo incidit in desperationem, non tam propter peccati & supplicij agnitionem atque timorem, quam ob fidei vel boni propositi defectum. At agnitio peccati & timor diuinæ seueritatis, cum desiderio iustitiæ & spe misericordiæ coniuncta ad Deum nos ire compellunt, & amorem iustitiæ & spem magis àccuunt. iuxta prophetæ dictum sic orantis: Confige clauis timore tuo carnes meas, a iudicijs enim tuis timui. Item: Imple facies eorum ignominia, et quęrent nomen tuum domine. Et illud Sapientis: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Hæc secutus Chrysost: Hoc, inquit, solum est quod exposcitur a nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & angelos qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbè terrarum eos qui trudendi sunt in gehennam, ac supplicijs tradendi. Ponamus etiam & illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac proijci a regno cœlorúm, quod, vt mihi

Psal. 128.
Psal. 82.
Eccli 7.
Lib. 1 de cōpunctione cordis.

mihi videtur, grauius est ipsa gehenna. Nam etsi ignis ille non arderet, & immortalis illa pœna non esset parata, hoc solum quod alieni efficimur a Christo, & excludimur a bonis æternis, nonne omni pœna cruciabilius diceretur? Quod si non sufficiunt hæc ad erigendas animas & incitandas ad spem, illud saltem ad memoriam reuocemus exemplũ, quod de virginibus refertur, quæ exclusæ a thalamo sponsi sunt, propter olei defectum. Et Augus. Stimulat, inquit timor, sed noli timere: intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere, Ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum, Accedit ferramentum medici, minùs dolebat illud vulnus, quam dolet modo cum secatur: plus dolet cum curatur, quam si non curaretur: sed ideo plus dolet accedente medicina, vt nunquam doleat succedente salute. Occupet ergo cor tuum timor, & inducta charitate succedat cicatrix ferramenti medici. Talis est medicus, vt nec cicatrices appareant. tu tantum subde te dexteræ ipsius. Nam si sine timore es, non poteris iustificari Sententia dicta est de scripturis: Nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Opus est ergo vt intret timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas. Qui autem timet, non est perfectus in dilectione. quare? quia timor tormentum habet, quomodo sectio

In 9. tracta in canonicam. Ioannis.

Eccli 1.

medici

Rom. 7. medici tormētū habet. Hęc August. Simile est in legis sciētia. Hæc enim impiū facit magis peccatorē, dum id quod antea ignoranter perpetrabat nunc libidine vincente etiam scienter admittit, & ex peccatore fit legis pręuaricator. At cum bonæ voluntati scientia legis coniuncta est, non solum non auget peccatum sed & piam voluntatem magis inflammat, & contra peccati insidias munit. De quo dicit Augustinus lib. 15. contra Faustum, cap. 8. Scientia cum charitate non solum non inflat, sed etiam firmat.

Epist. 105. Vnde idem in epistola ad Sixtum, timorem orationi coniunctum partem iustitiæ facit. Iustificatur, inquit, homo, non solum remissione peccatorum, sed prius inspiratione fidei & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu & effectu.

Docemus igitur nos, non auertendos oculos à peccato vel iusto Dei iudicio, sed hominem à peccato debere conuerti, & cum iudicio simul Dei misericordiam intueri: sicut Publicanus, qui non audebat oculos ad cœlum tollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Docemus a pri-

Luc. 18. mo initio, timore scilicet supplicij, statim ad desiderium iustitiæ & spem obtinendæ veniæ accedere: deinde, ad spem veniæ iam obtentæ; per quam, quanto maior fuerit, quantoque conscientia tranquillior, tanto timor supplicij fit minor: ita tamen, vt semper simul sint, & spes obtentæ veniæ, & timor supplicij propter peccatum commissum.

At hæ-

At hæretici, ab initio primo, nempe timore, ſtatim docent accedendum ad fructum ſupremum fidei, nempe ſecuritatem veniæ, & excuſsionem omnis timoris: ab vno ſcilicet extremo, ad extremum alterum ſine medio: dumque peccatores ſtatim inter aſtra cum Lucifero collocant, eos exaltant. ſed inflatos præcipitant. Nos cum Pſalmiſta dicimus: Adorobo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Et cum Apoſtolo noſipſos iudicamus, ne iudicemur a Domino. Timor enim (ait Auguſtinus) eſt magnum pręſidium procedentibus ad ſalutem. Cùm autem quiſque peruenerit in domum Dei, fiet in eo quod dictum eſt: Conſummata dilectio foras mittit timorem. Non enim timent iam amicum, quibus dictum eſt: Iam non dicã vos ſeruos, ſed amicos: cum ad id quod promiſſum eſt, perducti fuerint. In hac autem vita quanto quiſque perfectior, tanto ſecuritati fit propinquior, nunquam tamen omnino de peccato ſecurus, quia etiam ipſe Apoſtolus ſeipſum ad vnguem in hac vita non nouit. De quo ſtatim dicemus.

Pſal. 5.
1. Cor. 11.
In Pſal. 5.
1. Ioan 4.
Ioan. 15.
1. Cor. 4.

Quid igitur Monhemium iuuat illud Ioannis: Perfecta charitas foras mittit timorem? quum ille de eo timore loquatur, qui fiduciæ opponitur: qui oritur ex mala conſcientia, quæ tormentum deſperationis operatur. Sicut enim ex bona conſcientia ſpes, ita ex mala conſciẽtia deſperatio conſurgit: & vt ſpes conſolationem, ita quoque deſperatio torturam conſcientiæ parit. In hoc, inquit Ioannes, pefrecta eſt charitas

Reſpõſio ad verba Ioannis.
1. Ioan. 4
1. Ioan. 4

Dei

Dei nobiſcum vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mūdo. Timor non eſt in charitate, vtique fiduciæ contrarius, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. quam quæſo pœnam? niſi conſcientiæ repræhenſionem ſicut capite ſuperiori dixit, Si reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Chariſsimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Rectè certe de tali timore interpretatur locum Ioannis Monhemius, ſed tamen grauiter in hoc errat: quod omnem ſupplicij timorem talem putet, vt inter timorem deſperationis & timorem reuerentiæ nullum medium agnoſcat: quod non putet iuſtos ſeſe timore iudiciorum Dei, ad bonū alacriter incitare: quod denique non videat, quomodo cōſiderari poſsint ſimul, Dei & iuſtitia & miſericordia. Audiamus Bernardum pulcherrime ex ſcripturis (veluti iā Monhemium confutaret) de hac re diſſerentem Pedes inquit, Chriſti ſunt miſericordia & iudicium: quorum alterum ſine altero oſcūlari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda. Quis enim Dei miſericordiam indeſinenter attendens, non ſtatim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cum enim recogitat, vniuerſitatis dominum formam ſerui pro ſeruis ſuſcipere, triginta & tribus annis operari ſalutem noſtram in medio terræ huius, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum: ſtatim deceptoria ſpe ſibi blanditur & alludit, gaudet

1. Ioan. 4

In ſer. de feſto Magdalenæ.

gaudet obseruari in misericordia & miserationibus, iudicium nescit, ignorat iustitiam, & puniendа æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat: qui totum de misericordiæ pede præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens quòd credit. Rursum cùm adducit os, & iudicij pedem crebrioribus osculis intertangit, subcutitur animæ carnisque substantia, & vtriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis, offendere creatorem, nescire dominum, recalcitrare dominantis imperio: qui habet potestatem corpus & animam ponere in gehennam. Terribilis certè (sicut ait Apostolus) quædam expectatio iudicij, quando ignis in conspectu eius exardescet, & virtutes cœlorum mouebuntur, & vacillantibus conscientijs latitudinē mundi clarissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius, quàm videre latronis officinā plenam sanguine, cumulatam opprobrijs, tormentis vndantem. Quis hæc diutius cogitans non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis excludat. Vtrunque igitur iungat pedem animæ pœnitentis affectus, & tunc misericordiā amplectens, nunc iudicium deosculans, contribulati spiritus offerat holocaustum. Vide Mariam iudicij pedem fortiter attendentem, dum nobilis & lasciua mulier conuiuantium faciem non attendit: sed extenso corpore prouoluitur

Heb. 10

pedibus maiestatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis iaculo vulnerata. Sed & misericordiæ pedem labijs impreſsioribus osculatur; in cuius ſpe firmiter inhæret veſtigijs redemptoris, donec audiat: Remittuntur tibi peccata tua.

Rurſum reijcitur hæc fides, quòd officium Chriſti Iudicis vſurpet: pronuncians de intimis cordis, quæ ſolus Deus ſcrutatur. *Cap. 6.*

QVartò reijcitur hæc doctrina, ſic: Quiſquis carni mente ſeruit atque peccato, Deo placere non poteſt, iuxta Apoſtolum, dicentem: Qui in carne ſunt, & ſecundum eam ambulant, Deo placere non poſſunt. ſed nemo certus eſt an dominetur ſibi peccatum, & ambulet ſecundum carnem. Igitur nemo certus eſt ſe placere Deo. Si quis certus eſt ſe non ambulare ſecundum carnem, huius rei certior ſit Apoſtolo neceſſe eſt. Nam ipſe Apoſt. non auſus fuit iudicare, ſe eſſe fidelem diſpenſatorem & iuſtificatũ, quamuis nullius criminis ſibi conſcius eſſet. Legerat enim à Propheta dictum: Delicta quis intelligit? &, Ab occultis meis mũda me domine: &, Eſt via quæ videtur homini iuſta, & nouiſsima eius deducunt ad mortem: et Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autẽ corda Deus. Idcirco temperabat Apoſtolus ſententiam, ne forte per ignorantiam deliquiſſet. Et quid (inquit Chryſoſtomus) ſi nihil ſibi conſcij ſint, non iudicantur? quid igitur dicemus? Quòd accidit hominem in quibuſdam peccare,

Rom. 8

1. Cor. 4

Hiero. lib. 2 contra Pelagi.

Pſal. 18

Prouer. 21

Prouer. 15

In illum Pauli locum.

quæ

quæ peccata esse ignorat. Hinc considera quanta sit futuri iudicij diligentia. Cor hominis (inquit Augustin.) abyssus est. Quid enim profundius hac abysso? loqui homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone: sed cuius cogitatio penetratur? cuius cor inspicitur? Quid intus gerat, quid intus possit, quid intus agat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit quis cōprehēdet? & infrà Nunquid prædicatores verbi abyssus? Vt noueris quia abyssus & ipsi, Apost. ait: Minimū est, vt a vobis diiudicer, aut ab humano die. Quanta autē abyssus sit, audite amplius: Neque enim ego meipsum diiudico. Tantāne profunditatem creditis esse in homine, quę lateat ipsum hominē in quo est? Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quádo quid in se ageretur intus nesciebat, & se moriturū cum domino vel pro domino temerè promittebat? Idē alibi: Plāgendæ tenebræ, inquit, in quibus me latet facultas mea quę in me est, vt animus meus de viribus suis ipse se interrogans, non facile sibi credēdum existimet. quia & quod inest, plerumque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita, quę tota tētatio nominatur: vt qui fieri potuit ex deteriore melior, nō fiat etiā ex meliore deterior. Prauū, ait Hiere. est cor omniū inscrutabile, quis cognoscet illud? Bernar. Prauū est, inquit, cor hominis & inscrutabile, ita vt nemo sciat quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est, sed nec ipse plenè Nam cum Apost. diceret, Mihi pro minimo est

In Psal. 41

Idem.

1. Cor. 4

Li. 10. Cōfes. cap. 32

Hier 17.

Epi 42. ad Hēricū Senonēsem Archiepi.

vt à vobis iudicer, aut vt ab humano die, adiecit: ſed nec ego meipſum iudico. Quare? quoniam non poſſum, ait, ratam vel ipſe de me proferre ſententiam. Ego enim nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum non ex toto credo me vel ipſi conſcientiæ meæ: quippe cùm ne ipſa quidem queat me comprehendere totum, nec poteſt iudicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me, dominus eſt. Dominus, inquit, cuius vtique ſcientiã non effugit, ſententiam non ſubterfugit etiam quod propriam latet conſcientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipſe qui cogitat. Et infrà. Hieremias, inquit, non ſatis popularibus ſententijs, velut quibuſdam humani diei radiis mouebatur, ſed fidenter loquebatur, Deo: Diem hominis non concupiui, tu ſcis. Si meus mihi arriſerit dies, neque meipſum, inquit, iudico: quia nec ipſe me ſatis intelligo. Solus meritò conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum, qui finxit ſigillatim corda vniuerſorum, & intelligit omnia opera eorum. Solum attendo iudicem, quem & ſolum iuſtificatorem agnoſco. Pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Non vſurpo mihi vel ſuper me ſeruus filij poteſtatem, nec me annumero illis, de quibus ita conqueri ſolet: Tulerunt homines à me iudicium. Hæc Bernardus. Clarum eſt igitur, Apoſtolum, dum dicebat: Neque ego meipſum iudico, imitatum Prophetam Iob, qui de ſeipſo veraciter ſic loquebatur: Etiam ſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum

1. Cor. 4

Ibidem.

Hier. 17

1. Cor. 4.

Iob. 9.

meum iudicem deprecabor: & cum inuocátem me exaudierit, non credo quòd audierit vocem meam. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et, Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Quid opus pluribus, quandoquidem nemo non videat, vanam hanc illorum persuasionem, scripturis his omnibus planè esse contrariam? Nam (vt paucis idem repetam) ea fit, vt homo temerè sibi persuadeat, quòd Deum non iudicem, sed tantùm patrem habebit: Rursum, quod habeat peccati veniam, non solum cum orauerit, sed etiam antequam oret: tantùm si id se iam assecutum firmiter credat. Rursum, vt certò credat se non ambulare secundum carnẽ & hypocrisim, sed sibi spiritum simplicitatis donatum. Denique eò dementiæ homo per eam venit, vt nulla opera sua vereatur, persuadendo sibi quòd delinquenti, propter Christum parcatur.

Ibidem.

Brentius dum se in hoc Apost. loco, Neque meipsum iudico, cerneret irretitum veritatis laqueo, contra textum, patresque iam citatos, nouum, vt solet, excogitauit commentarium. [Hic inquiens, verbum, Iudico significat alterum alteri vel anteferre vel postponere.] Sed erras ô Brenti. nõ quærit Apostolus ibi, quis inter duos, vel plures fideles dispensatores mysteriorũ Dei, sit alteri vel præferendus, vel postponẽdus; sed hic inquit, quæritur, vt inter dispensatores fidelis quis inueniatur: non, vt fidelior vnus altero, sed vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem (addit ipse) pro minimo est, vt à vobis iudicer: an fide-

1. Cor. 4

lis sim scilicet an non: sed neque meipsum iudico, fidelem. Nihil enim mihi conscius sum. Quid hoc quæso ad comparationem ministrorum inter se? Nullius infidelis dispensationis se sibi cōscium asserit: & tamen non audet ob hoc dicere se iustificatum. Dum agitur de iudicio conscientiæ, de iustificatione, non agitur de comparatione duorum iustorum, vter videlicet maior, & vter minor sit. Quid ergo? num scilicet ille qui sibi nullius conscius est, vere etiam ab omni crimine coram dei tribunali immunis, & coram eo iustus ac fidelis sit? Qui autem iudicat me, inquit, dominus est. En ô Brenti, dominus in die iudicij solùm iudicabit, vtrum Paulus preferendus sit Apollo, an non etiam, an Paulus vere fuerit fidelis dispensator? Huic Brentianæ imaginationi contradicit ipsa scriptura, dicens, vnicuique ioxta opera sua reddendum, atque cuilibet seruo fideli dicendum: Euge serue bone & fidelis intra in gaudium domini tui. Imo Apost. ibidem subdebat: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. inter quas vtique erunt infidelium ministrorum tenebrosa opera, sæpe nunc etiamsi ipsosmet latentia: dum nonnunquam ita securi sunt, atque si iustorum facta haberent & tunc inquit, vnicuique laus erit fideli, vt vituperium infideli.

Matth. 16.
Matth. 15.
1 Cor. 4.
Eccle. 8.

Reijcitur ista fides quòd aduersa sit doctrinæ de oratione, baptismo, Eucharistia, pænitentia & clauibus Ecclesiæ. Cap. 7.

Quintò

5 QVintò reijcitur hæc doctrina, quia tollit orationem dominicam: qua oramus vt dimittantur nobis debita. Cum enim certum sit, neminem recte oratione petere, quod iam certus est se habere: & hac fide certò sibi persuadeat homo quod veniam peccati habeat, consequitur, eum qui iuxta Monhemium & Caluinum vere fidelis est, irrisorie Deo dicere: Dimitte mihi debita mea. Et hoc quidem argumento vsi sunt Colonienses contra Môhemium: sed eis ridicula responsione occurrit Artopæus, dicens[fidelos inuocare Deum ob timorem lapsus, & offensionem Dei.]Petentes enim sibi remitti debita, de diluendis iam contractis sunt soliciti, nō de futuris cauendis; pro quibus dicendum sciunt quod sequitur, Ne nos inducas in tentationem.

Henricus Artopæus defensor Môhemij

6 Sextò, doctrina huius specialis fidei aduersatur doctrinæ scripturæ de baptismo. Siquidem cùm nemo posit admitti adultus ad baptismum nisi qui Christianam fidē habet iuxta illud Philippi ad Eunuchum, Si credis ex toto corde, licet te baptizare: & iuxta dogma huius vanæ persuasionis, fide certus sit homo se esse Dei filium, Deumque sibi iam propitium, consequens est, baptismum non adhibendum vt peccata remittantur, vel vt homo renascatur. contra illud symboli Constantinopolitani: Confiteor vnum baptisma in remisionem peccatorum: & illud Petri, Iudæis conuersis in die Penthecostes dicentis: Baptizetur vnusquisque vestrum in remisionem peccatorum: & illud

Acto 8

Acto. 2.

Ioan.3. & illud Domini: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

7 Septimo, hæc persuasio aduersatur Apostoli doctrinæ de recto vsu Eucharistiæ. Ipse enim

1.Cor.11 dicit: Quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Doctrina autem hæc: Certus (inquit) esto, & firmiter statue, quòd nec reus inde fies, nec iudicium incurres, & sic periculum omne euades. Apostolus docet fideles Corin-

1.Cor. 11. thios probare seipsos, ne indignè Eucharistiam sumant, rei fiant, & condemnentur: Lutherus autem docet securum & certum te esse, quòd non indignè sumes, quòd ibi reus non fies, sed gratiam consequeris modo id credas. Apostolus prædicat examen conscientiæ præmittendum:

In Bulla Leo art.15 Lutherus autem & Monhemius prædicant, sola fide, qua quis statuit se esse in gratia, consequi gratiam in communione: auertentes scilicet hominem à suiipsius examine ac probatione, & docentes eum respicere in solam misericordiam, non in iudicium.

8 Octauò, hac vana doctrina euertitur veræ pœnitentiæ siue conuersionis ad Deum prædi-

Psal.84. catio. Nam cùm scriptura dicat: Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à no-

Esa. 55. bis: &, Derelinquat impius viã suam, & vir iniquus

quus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum, & miserebitur eius: & iterum, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite peruerse agere, discite bene facere, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. rursum: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum: Cum, inquam, ista dicat scriptura, ostendens, veram pœnitentiam conuersionemque præcedere remissionem peccatorum, contrà hæc doctrina asserit, remissionem peccati obtineri ante omnia per hanc fidem: & tum demum sequi verã pœnitentiam & conuersationem secundum deum. Hinc Lutherus ait: [Qui credit se absolutum, est absolutus, quicquid sit de contritone.]

Esa. 1.

Acto 2.

In Bulla Leo artic. 11. & 12.

Nono, aduersatur hæc vana fides potestati soluendi & ligandi, remittendi & retinendi peccata, quam dedit dominus Petro & Apostolis. Quum enim dicat Dominus eis peccata remittenda, quibus illi remiserint: eos soluendos in in cœlo, quos illi soluerint super terram: hæc fides habet, quód peccata sint remissa sola fide, etiam si nemo solutor vel remissor accedat. imò, quòd etiam hanc fidem habentes, dum accedũt pastores suos, vt ab eis soluantur & peccata eis remittantur, iam antè peccatorum remisionem consecuti sint: vt ridiculum iam sit quod Apostolis suis Dominus dixit, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: cùm nimirum & illis ipsis

9

Matth. 16.

Ioan. 20

Ioan. 20

ipſis remiſſa ſint peccata antequá accedát Apoſtolos. Quinimò iam non plus poteſtatis (ſaltem hac in parte) Apoſtolis relinquitur, quàm cuilibet Chriſtiano, etiam puero. Quemadmodum enim, ex horum fatua ſententia, credens prædicationi Apoſtolorum accipit ſtatim veniam: ita etiam, & qui crediderit verbis fatui, dicentis remiſſa ei eſſe peccata propter Chriſtum. Vnde eſt illud inſigne Lutheri dictum: [In ſacramento pœnitentiæ ac remiſsione culpæ, non plus facit Papa aut Epiſcopus, quam infimus ſacerdos: imò vbi non eſt ſacerdos, æquè tantum quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier aut puer eſſet.]

In Bulla Leonis, ſentent. 13

Quòd hæc fides ſeipſam euertat.
CAPVT VIII.

10 DEcimo, hæc fides adeô noua eſt & falſa, vt quum ſibiipſi contraria ſit, ſeipſam deſtruat. Nam nemo cuiquam aſſentitur, niſi quod verum iudicarit, etiam priuſquam aſſentiatur. Sicut enim (vt ita dicam) propter noſtrum Affirmare vel Negare nihil mutatur in re: ita nec propter noſtrum aſſenſum vel diſſenſum: Cuius rei ſanè argumentum magnum eſt, quod ex naturali amore veritatis, & horrore falſitatis, antequá alicui aſſentiamur, exploremus num quod nobis refert, verum ſit: et vbi id ſic ſe habere deprehenderimus vel probauerimus, tunc demum aſſenſum præbeamus. Idem in euang. locũ habere, ex eo liquet, quòd illud plurimi ſuſceperint propter ſigna quæ videbant

debant, & ſcrutando ex veteribus ſcripturis, an verum eſſet. Eo tendit, quod dicit Apoſto. Si non crediderimus, Deus fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. quaſi diceret: Noſtra infidelitas non efficit, quin verum ſit Dei verbum, nec euacuat fidem & promiſſum Dei quorundam incredulitas. Cum itaque hac vana perſuaſione credat homo ſibi remitti peccata per eam ipſam fidem qua credit hoc, neceſſe eſt id verum eſſe etiam priuſquam credat, atque ideo ipſa fides remiſsionis poſterior eſt remiſsione; quæ tamen ab iſtis creditur remiſsionem acquirere, eiuſque cauſa eſſe (vt loquuntur) apprehēſiua: & quia cauſa, idcirco remiſsione vt ſuo effectu prior: ſicut reuera fides Christiana præcedit iuſtificationem, dicente Apoſtolo: Corde creditur ad iuſtitiā: &, Iuſtificatur homo ex fide. At perabſurdum eſt, fidem verbi Dei præcedere idem ipſum Dei verbum, fidem dare varitatem ipſi verbo: cum nō verbum Dei ex fide, ſed fides ex Dei verbo dependeat. Neceſſe eſt præcedere Dei teſtimonium, antequam eius teſtimonio credi poſsit. Ecce portentoſum axioma, quod parit hæc vana & inſcitiæ plena perſuaſio; nimirum, fidem iſtam præcedere remiſsionem peccatorum, vt eius cauſam: ſequi verò ſicut aſſenſus ſequitur veritatem crediti. At Chriſtiana Eccleſia nouit quòd antequam quis credat in Chriſtum, ira Dei maneat ſuper eum: nouit quòd impius debet relinquere viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuerti ad Dominum vera pœnitentia, fide Chriſti,

2. Tim. 2.

Rom. 10.
Gal. 2.

Ioan. 3.
Eſa. 55.

Christi, ſpe, atque inuocatione, necnon & eius ſacramentis, ac quòd ita demũ miſerebitur eius dominus. Proinde procul abſcedit ab hac fatuitate, vt dicat eadem fide qua quis credit ſibi remitti peccata, ea remitti.

Hæc fides peruertit verbum Dei. Cap. 9.

POſtremò, hæc vana perſuaſio procedit ex exilij intellectu euangelij & verbi Dei. ſiue potius, per ipſam verbum Dei peruertitur. Atque hæc eſt propriè cauſa cur reijcienda ſit, pariatque tot abſurda: ex quibus iam aliqua nõ mediocria recenſuimus. Fides etenim in nihil aliud collimare debet quàm in Dei verbum: & præter illud nihil eſt credendum, ſicut & hæretici fatentur, & Apoſtolus: Cum accepiſſetis (inquiens) à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei. Item alibi: Fides (ait) ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Nullum autem eſt verbum, dicens cuilibet hominũ, eſſe ei remiſſa peccata, ſed euangelium vnum & idem eſt apud omnes Chriſtianos. Vnde euangelium generalibus enunciatis in ſcriptura proponitur. quale eſt: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: &, Sanguis meus fundetur pro multis in remiſsionem peccatorum: &, Venit filius hominis quærere, & saluũ facere quod perierat. Rurſum: Venit Chriſtus in hunc mundum peccatores ſaluos facere. At particularia, pro perſonarum varietate mutantur. Si euangelium haberet peculiarem annunciationem ad quem-

1 Theſ. 2. Rom. 10 Ioan 1. Matth 26 Luc. 19 1. Tim. 1

quemlibet audientium: Remissa ei esse peccata: certè aut falsum esset, cum scilicet annũciaretur eis, qui in impietate essent permansuri, aut solis esset annunciandum saluandis: quæ vtraque lõge sunt absurdissima, & contra Apostolum dicentem; Euangelium quibusdam esse etiam in odorem mortiferum, sicut Christus est scandalum & ruina multorum. Item contra Christi mandatum, quo pacem prædicari mandat, etiãsi non sit aliquis in domo pacis filius, vel gratia Dei pace dignus. Certe ipse Monhemius, à veritate velut compulsus, fatetur quosdam credere omnia Dei verba, qui tamen hanc persuasionem non habent. [Multi, inquiens, ex impijs credunt Deo, & de Deo, nimirum vera esse, quæcunque olim per vates, & postea per vnigenam filium suum locutus est: interim carent effectibus fidei: Hæc quoque diabolus credit. Sic enim legimus: Et spiritus immundi cum vidissent illum procidebant ei, & clamabant, dicentes, Tu es filius Dei.]

2. Cor 2.

Matth 10.

Luc. 4.

Relinquimus autem Monhemio id quod de diabolo asserit, seque probare putat. Cæterùm clarè consequitur ex eius verbis, hanc persuasionem, quam in impijs omnia Dei verba credentibus non agnoscit, non versari circa Dei verbum, quod per vates & vnigenitum suũ locutus est, & proinde, non esse fidem euangelij. Mandat Dominus per Salomonem: Nihil, inquit, addas verbis illius, ne arguaris inueniarisque mendax. Monhemius verò fatetur hac fide credi, quod Deus neque per vates, neque per vnigeni-

Prouer. 30

vnigenitum suum locutus est: idque credi velut Dei verbum Addit igitur Dei verbo 'ac proinde vt mendax arguendus est. Si Euangelium Christi, vel promissio facta Abrahæ haberet, quòd quiuis deberet statuere, se ad Christum pertinere, vel filium esse Abrahæ secundum spiritum, sequereturque ex ea fide omnis iustitia non rectè reprehendisset Ioan. Baptista Phariseos dicentes: Patrem habemus Abraham: vnde consequenter inferebant, promissionem Abrahæ factam ad se pertinere. Imò debuisset Ioan. dicere. firmiter credite promissionem de vita æterna Abrahæ factam ad vos spectare: & inde iusti eritis, euadetisq; gehennam. At aliud Ioannes. Quis, inquit, demonstrauit vobis fugere à ventura ira? &c. Ne velitis dicere: Patrem habemus Abrahã. Potens est enim deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: in quibus videlicet, quod Abrahæ promissum est, cõpleatur vobis reiectis. veluti apertè diceret hodie Lutheranis. Nolite dicere, Filij sumus Christi. illũ pro nobis mortuum credimus, promissio euangelica nõ est fallax. Potens est enim Deus, eam suam promissionem cõplere vobis perditis.

Matth. 3.

Ibidem.

Refutatur error eorum, qui firmiter statuunt, sese ad vitam æternam peruenturos. *Cap. 10.*

MVltò porrò vanior est fides, qua quisque statuit firmiter, se peruenturum ad vitam æternã, quàm qua persuasum habet, sibi peccata esse remissa. Hæc enim etiam de futuris pronunciat, quæ soli Deo nota sunt: iuxta

iuxta illud Sapientis, Homo futura nullo ſcire poteſt nuncio. &, Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies. Illa autẽ tantùm de præſenti iuſtitia. Igitur & eius, licet iam ſatis ſit reiecta, paucis oſtendamus vanitatẽ.

Eccle. 8
Proue. 27.

1 Primo igitur, nullum ſymbolorum, neq; Apoſtolicum, neque Nicenum, neque Conſtantinopolitanum, neque Athanaſij habet quod quilibet debet credere ſe habiturum vitam ęternam. licet enim credamus vitam ęternam, non tamen idcirco credimus nos eam poſſeſſuros. Credimus enim ſimiliter & mortem impiorum æternam; ſic namque Athanaſij Symbolo dicimus, Et qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum: & tamen nemo credere debet, etiam ſi hactenus impie vixerit, ſe intraturum ignem æternum. Nec igitur etiam, ſi quis ſciret ſe hactenus recte vixiſſe, credere ſe poſſeſſurum vitam æternam.

2 Secundò etiam hæretici ſtatuunt ſe peruenturos ad vitam æternam, & qui certò eo non perueniẽt. Hoc enim ſtatuebat olim Eunomius, ſtatuunt nunc & Caluiniſtæ, ſtatuunt & Brentiani, etiam in grauiſsima materia religionis, nẽpe Euchariſtiæ doctrina, à ſe mutuo diſſentientes. Falſa eſt itaque hæc perſuaſio, & non innitens veraci verbo Dei.

3 Tertiò ſi fides iuſtificans reddit hominem certum de æterna vita, igitur certum eum facit quòd in fide perſeuerabit. Vita quippe æterna fidelibus tantùm, & in fide ad mortem vſque perſeuerantibus parata eſt. Sed ſicut Apoſtolus

docet,

1.Tim.1. docet, multi repulsa bona conscientia, naufragiũ fecerunt circa fidem: & alij præ auaritia à fide
1.Tim. 6. exciderunt. Christus quoque quosdam ponit in
Luc 9. fide temporales, quos vere dicit credere: non, vt impudentissime contra Christum & Paulum Caluinus fingit, simulare fidem. His adde: quod iam olim Iouiniani dogma, Renatos videlicet Spiritu sancto non posse à satana superari: ostẽsum est à Hieronymo clarissimis scripturis aduersari. totaque Ecclesia Nouatianos condem-
Matth. 24 nans, credidit fideles labi excidereque à gratia
Ezech. 18. posse: Sicut Christus ait, Refrigescet charitas multorum: & Ezechiel, Si iustus auerterit se à
Epist. 42. iustitia sua, etc. Vnde bene Bernardus (quem sibi fauere falsò iactitant hæretici) Interroga, ait, eos qui dicunt, charitatem, à quo semel accipitur, nequaquam vltrà recedere. Ait veritas de
Luc. 8 quibusdam: Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Et paulò pòst: Recedunt ergo quidam
Idem. à fide, inquit, quia veritas asserit: consequenter & à salute, quia saluator redarguit. Inde nos colligimus quòd & à charitate, sine qua salus esse non potuit. Et hi, inquit, radicem non habent. Nec negat eos habere bonum, sed in bono potiùs radicatos non esse causatur. Deniqne sequitur, & ait: Quia ad tẽpus credũt, bonum est.
Matth. 10 sed vtinã duraturũ. non enim qui ceperit sed qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit. Nõ au-
Sapien 4. tem durant, quoniam in tempore tentationis recedunt. Beati si interim rapti fuissent, ante-
Eccle. 27. quam malitia mutaret corda eorum. Item infrà: Vasa

frà: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio. illos videlicet qui ex fide viuunt. Iustus nempe ex fide viuit. Solam vtique iustorũ fidem, id est, viuorum viuam, fornax tentationum suscipit examinandam. Sed non omnium iustitia manet in seculum seculi: quoniam sunt qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedũt. Et infrà: Liquet ex his satis (vt arbitror) non omnes qui habuerint charitatem habere & perseuerantiam in charitate. Alioquin, frustrà commoneret Dominus discipulos: Manete, inquiens, in dilectione mea. Aut enim si necdum diligebant, non debuerat dicere: Manete, sed, estote in dilectione mea: aut si iam diligebant, necesse nõ erat moneri de perseuerantia, qua secundum istos priuari non poterant. Ante Bernardũ idem scripserat Cyrillus: Quoniam dictum est, mundos Apostolos fuisse propter sermonem Christi: ne quis putet, nequaquam se posse, si semel purgatus fuerit, ad peiora delabi in eo permanere imperauit. quod nihil aliud est, vt mihi videtur, quàm illud Pauli: Qui putat se stare, videat ne cadat. Mille namque pericula, nisi vigilanter studeamus, etiam stantibus imminent. Quare oportet omni cura, opera, studio, ad maiora semper niti.

Rom. 1. Abac. 2. Idem. Ioan. 15. In Ioan. li. 10. c. 16. 1. Cor. 10.

4 Quartò, hæc persuasio pronunciat de occulta & inscrutabili Dei prædestinatione. Nam per eam firmiter homo statuit se prædestinatum, securiorque est de æterna sua salute, quàm fuit homo, & angeli ante lapsum. At secus Augustinus: Licet, inquit, sancti de suæ perseuerátiæ præmio

Lib. 11. de ciuit. Dei cap. 12.

certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuque iustitiæ perseueraturum vsque in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit? Aliter & Hieronymus: Ne glorieris, inquit, in crastinum. nescis enim quid adueniens pariat dies. Vnde scriptum est. Ne beatum dixeris quempiam ante mortem. Quamdiu enim viuimus in certamine sumus: quamdiu in certamine, nulla est certa victoria quæ enim Apostolo fortissime prælianti, in futuro seculo reseruabatur.

Lib. 2. contra Pelag.
Prou 27.
Eccli 11.

5 Quintò, hac persuasione qua quis firmiter statuit se perseueraturum in Dei gratia, & peruenturum ad æternam vitam, tollitur sollicitudo recte agendi, & ille timor, quo iubet Apostolus; Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et seueritatem Dei; in eos quidem qui ciderunt seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.

Rom. 11.

Deniq; quæ causa fuerit, vt sic Hebræos terreret, dicent: Timeamus ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur ex nobis aliquis deesse. Si enim, inquit, qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Caluinus insigni commentario hæc Apostolica dicta eludit:

Heb 4.
Heb. 2.

cludit: quasi ad totum corpus gentium, in quo quidam erant inflati, fidem magis profitentes quàm habentes, dixerit Apostolus: Time ne forte nec tibi parcat, idque ob hypocritas commistos: quum potius hæc dicat Apostolus propter eos qui fide stabiliti erant, quibus tamen, ne hinc animo efferrentur, metuebat. Si hæc dicerentur corpori Gentium, sensu Caluini, liceret eodem modo & Ecclesiæ dicere, quæ constat ex angelis, beatis, & hominibus fidem profitentibus: Time ne excidaris. Quem porro ex corpore gentium vere credentem velit Apostolus timere, quandoquidem quisquis ille sit, sua fide, iuxta Caluinum timorem depellere debet? Hypocrita autem frustra timet ne excidatur, cum insitus non sit. Et quidnam est, ô Caluine illud Apostoli: Si permanseris in bonitate: cum iuxta sententiam tuam, corpus gentium ex ea parte qua fuit in bonitate, semper in ea permaneat: ex parte vero qua hypocritas continet, nunquam fuerit in bonitate? Viden lector quam se prodant hæretici scripturarum esse deprauatores, dum ridiculos huiusmodi commentarios adferunt? Quid verbis illis Apostoli disertius dici potuisset, quo insanorum horum temeritas reprimeretur?

Rom. 11.

Rom. 11.

Veteres patres certe intellexerunt, scripturas sacras, timorem, ne forte quis excidat, præcipere. Quòd autem ait, Augustinus, perseueraturis sic ista dicuntur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent quibus expedit non altum sapere, sed timere.

De cor. & grat. ca. 13.

Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiá per Satanæ angelum, ne extolleretur tantus collaphizaretur Apostolus. Hinc & Apostolis dicebatur: Si manseritis in me, dicente illo, qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam. Si volueritis & audieritis me, cum sciret ipse in quibus operaretur & velle. Et similia multa dicuntur propter huius vtilitatem secreti, ne forte quis extollatur, sed omnes, etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est quò perueniant. Propter huius ergo vtilitatem secreti, credendum est quosdam de filijs perditionis, non accepto dono perseuerandi vsq; in finé in fide quæ per dilectioné operatur incipere viuere, & aliquádiu fideliter & iustè viuere, & postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat auferri. Quorum si nemini contigisset, tamdiu haberent homines istum saluberrimum timorem quo vitiū elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua pie viuitur peruenirent, deinceps iam securi, nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, vbi tanta est infirmitas, vt superbiam posśit generare securitas. Hæc ille ibi. Alibi quoque & sic. Quos, inquit, prædestinauit, ipsos & vocauit, vocatione illa, de qua dictum est: Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: ad quam vocationé pertinere nullus est homo ab homimibus certa asseueratione dicendus nisi

2.Cor. 12.
Ioan. 15
Esa. 1.
De bono perseuer. cap. 13
Rom. 11.

nisi cùm de hoc seculo exierit. in hac autem vita humana, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe sicut iam supra diximus, non perseueraturi perseuera turis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutē operemur. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate. Chrysostomus ab his non dissimilia dicit: Si resurrectionem assequentur omnes, & non solum resurrectionē, sed & incorruptionem, quomodo tanquam præcipuum quicquam adepturus dixit: Si quo pacto pertingā? propterea, inquit, ista patior, vt aliquo pacto ad resurrectionem ex motuis pertingā. Nisi enim mortuus fueris, non resurges. Quid est igitur? Videtur enim magnum quid hic innuere. Erat enim adeo magnum, vt liquido definire non ausus sit, sed dixerit, Si quò pacto. Credidi in illum & resurrectionem eius imò & patior propter ipsum, sed nondum possumus de resurrectione confidentes esse & securi. Quam hic ergo resursurrectionem dicit? Eam scilicet quæ ad ipsum Christum ducit. Dixi me in ipsum credidisse & potentiam resurrectionis eius, consortemque passionum ipsius factum, & cōformatum morti eius, veruntamen, post ista omnia nondum securus sum. Quod & alibi dicit: Qui stare videtur, videat ne cadat. Et iterum: Metuo ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Item in hæc immediatē sequentia verba: Non quod

1.Cor. 10.

Philip. 3

In 3. cap. epistol ad Phil ser. 11

Philip 3

1. Cor 10.

1. Cor 9.

iá apprehéderim, aut iá perfectus sim. persequor aút, si quoq; apprehendá, quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu, non quod iam apprehéderim, subdit ipse: Quid est, Iam apprehéderim? Brauium dicit. Si ergo qui tanta passus est, si qui persecutionem tulit, si qui mortificationem habebat, nódum de resurrectione illa securus fuit, quid sine nos dicemus? Quid est, Si apprehendam? Resuscitationem ex mortuis. resurrectionem eius, inquit, si apprehendam hoc est, si tanta pati potero, si potero ipsum imitari, si potero conformis ipsi fieri. Sufficit considerare (ait idem alio loco) ob hoc incerta esse quæ futura sunt, & valde dubia, & tam periculosa, vt ea etiam magnus ille metuat Paulus. Hoc enim indicat, cum dicit se timere ne forte cum aliis prædicarit, ipse reprobus fiat. Et iterum cum ait: Qui se putat stare, videat ne cadat. Similiter Ambrosius:a Etsi innocens (inquit) quisque sit, securus esse non potest: cui sint aduersus hostes quotidiana certamina, & ideo hæc, licet læta sit conscientia, tamen pugna lachrymabilis. Hieronymus: Qui, inquit, se exaltat, videat ne cadat. Potentes potenter tormenta patientur, Timor virtutum custos est: securitas, ad lapsum facilis. Vnde & quodam psalmo, postquam Propheta dixerat. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocauit: iungit timorem, qui custos est beatitudinis: & infert, Virga tua & baculus tuus, ipsa me cósolata sunt: & est sensus, Dum tormenta formido, seruaui gratiam quam acceperam

Chrysost.

Li. 2. de cópunct. cordis.

1. Cor. 9

a In Psal. 37. aduersum. Gemit' meus à te, etc.

Ad Fabiolam mansione 23.

Sap. 6

Psal. 22.

Sextò,

Sexto, hac persuasione iudicat homo seipsum, non solum pro præsenti, sed etiam pro futuro tempore, omnibus modis sic inuadens Christi iudicis officium, & obsurdescens ad præceptum sapientis, Ante mortem ne laudes hominem quenquam. Qui enim non solum se iustum esse firmiter statuit, sed & in iustitia perseueraturum, omnino se laudat ante mortem. 6 Eccli 11.

Septimò, nullum est Dei verbum, quod testetur cuilibet fideli, eum esse perseueraturum in fide & charitate, & habiturum vitam æternã. quinimò, iam est ostensum, scripturam docere, multos à charitate excidere, atque damnari in æternum, vt Saul. Vana itaque hæc persuasio non versatur circa dei verbum: Et proinde non est fides. 7

Postremò, Interrogo de hac inani & merè ficta fide gloriantes: num etiam persuadeant sibi, quòd conciliatam habeant erga se Dei beneuolentiam, ita vt hoc anno, mense vel die non sint casuri à fide aut iustitia. sed protegendi à Deo. Vtique dicent mihi, Et hoc statuimus. quandoquidem oramus, vt Deus quotidie nos custodiat (sine illa autem sua fide, putant inuocationem esse inanẽ). Sed ecce, manifeste iam patet, non hanc esse fidẽ qua iustificati fuerunt Prophetæ aut Apost. vel, si ea iustificati essent, falsa certe, seu quæ falsum credidisset pro Dei verbo, iustificati essent. Dauid enim vir erat secundum cor Dei, priusquam cum Bersabee adulterium perpetraret necariq; iuberet Vriã, antequã populũ 8 1. Reg. 13 2. Reg. 11 2. Reg. 24.

numeraret. Iustus ergo erat, fidemque iustificãtem habebat: atque ex consequenti, iuxta hæreticos istos, statuebat se à Deo protegendum omnibus diebus vitæ suæ, nec vnquam à Dei misericordia excasurum crimine conscientiam vastante. At hoc quis dicat non esse falsissimum, si eius adulterij & homicidij recordetur? Etenim si adulterium & latrocinium eiusmodi crimina non sint quæ homini tollant veram iustitiam, falsum dixerit Apostolus: Tollens ergo membra Christi, faciam mẽbra meretricis? Similiter Ioannes nos fefellerit verbis suis: Omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Item, Apostoli in cœna mundi erant propter sermonem quem eis locutus fuerat Dominus. Habebant ergo (dicam cum istis) Fidem iustificantem. Inferam vlterius: Statuebant ergo quòd non superarentur à tentatione, maximè cum hoc iuberentur petere denique, quód a fide non exciderent. At falsò hæc colligerem, quum videamus eos à fide defecisse, & scandalizatos in Christo fuisse (quod diserte futurum Christus prædixerat). imò vnum eorum etiam cum periurio Christum negasse: alterum verò diebus decem in infidelitate prrmansisse. Modò (inquit Christus) creditis. Venit hora vt dispergamini vnusquisque in propria. Ad hæc, Christi resurrectio multoties eis prædicta, & postea annunciata per mulieres & viros, non est credita, sed sicut deliramentum reiecta. Quum ergo absurditate absurdius sit, fidem ipsam aliquid falsi statuere, cõsequens est, nec Dauidem, nec Apostolos

1 Cor. 6.
1. Ioan 3.
Ioan. 13.
Matth. 26.
Ioan. 16.

stolos

ſtolos ſtatuiſſe, ſe à Deo vt in ſcelera non caderent protegendos, licet hoc bene ſperarint.

Fideles meritò timere ne ad paucitatem ſaluandorum non pertineant. *Cap. 11.*

CVM iam oſtenderimus, eos qui nullius criminis ſibi conſcij ſunt, nec an iuſtificati, nec an in pietate perſeueraturi ſint certò noſſe: clarum eſt, duplici ex cauſa timorem magnum in bona ſpe fidelibus oriri, & ab hæretica fide iſta ſpeciali eos prorſus abhorrere. Vnde non peſsimè nec perniciosè Gregorius (vt Caluinus peſsime pernicioſeque aſſerit) ſed optime & fructuoſe fideles hiſce verbis hortatur: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Tremendũ eſt valde fratres chariſsimi quod audiuimus. Ecce nos omnes iam vocati per fidem, ad cœleſtis regis nuptias venimus incarnationis eius myſterium, & credimus & confitemur: diuini verbi epulas ſumimus, ſed futuro die iudicij rex intraturus eſt. Quia vocati ſumus, nouimus: ſi ſumus electi, neſcimus. Tãto ergo neceſſe eſt vt vnuſquiſque noſtrũ in humilitate ſe deprimat, quanto ſi ſit electus ignorat. Nõnulli enim bona nec incipiunt: nonnulli verò in bonis quæ incœperunt, minimè perſiſtunt. Alter pene totã vitam ducere in prauitate conſpicitur: ſed iuxta finem vitæ ſuæ à prauitate ſua per diſtrictæ pœnitentiæ lamenta reuocatur. Alter electam videtur vitam ducere: & tamen hunc contingit ad errororis nequitiam iuxta finẽ vitæ declinare. Alius bonum bene inchoat: melius conſummat. Alius

Homi. 38. ad ipſa verba domini.

in malis

in malis actibus à primæua ętate se exercet, & in iisdem operibus semper seipso deterior consummatur. Tanto ergo sibi vnusquisque solicite metuat, quando ignorat quod restat: quia (quod sæpe dicendum est, & sine obliuione retinendum) multi sunt vocati, pauci vero electi. Item alibi: Valde terribile est quod sequitur: Multi enim vocati, pauci verò electi. quia ad fidem plures veniunt, & ad cœleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festiuitatem quam multi conuenimus! ecce parietes implemus sed tamen quis sciat quam pauci sunt, qui in illo electorum Dei gregem numerantur. Ecce vox omnium Christum clamat: sed vita omniũ non clamat. Plerique Deum vocibus sequũtur: moribus fugiunt. Hinc enim Paulus dicit: Qui confitentur, se nosse Deum, factis autem negãt. Hinc Iacobus ait: Fides sine operibus mortua est. Hinc per Psalmistã Dominus dicit: Annuntiaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vocante enim Domino super numerũ multiplicantur fideles: quia nonnunquam etiã hi ad fidem veniunt, qui ad electorũ numerum non pertingunt, Hic enim fidelibus per confessionem admixti sunt, sed propter vitã reprobã illic numerari in sorte fidelium non merentur. Hoc ouile sanctæ Ecclesiæ hœdos cum agnis recipit. sed, attestante euangelio, cum Iudex venerit, bonos à malis separat, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Neque etenim possunt, qui hic carnis suæ voluptatibus seruiunt, illic in ouium grege numerari. Illic eos à sorte humilium

Hom 19

Tit. 1.

Iacob. 2.

Psal. 30.

Matth. 25.

iudex

iudex ſeparat, qui ſe hic in ſuperbiæ cornibus exaltant. Regnum cœli percipere nequeunt, qui hic & in cœleſti fide poſiti, toto deſiderio terram quærunt. Et multos tales intra Eccleſiá fratres chariſsimi cernitis, ſed eos nec imitari, nec deſpicere debetis. Quid enim ſit hodie, aſpicimus: ſed quid cras futurus ſit vnuſquiſque, neſcimus. Plerunque & qui poſt nos venire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit: & vix eum cras ſequimur quem hodie præire videbamur. Ecce, cùm Stephanus certè pro fide moreretur, Saulus lapidantium veſtimenta ſeruabat. omnium ergo manibus ipſe lapidauit, qui ad lapidandum omnes expeditos reddidit: & tamen eundem ipſum in ſancta Eccleſia laboribus anteceſsit, quem perſequendo martyrem fecit. Duo ergo ſunt quæ ſolicite penſare debemus. Quia enim multi vocati, ſed pauci electi ſunt, primum eſt, vt de ſe quiſque minime præſumat: quia etſi iam ad fidem vocatus eſt, vtrum perenni regno dignus ſit, neſcit. Secundum verò eſt, vt vnuſquiſque proximum, quem fortaſſe iacere in vitiis conſpicit, deſperare non audeat: quia diuinæ miſericordiæ diuitias ignorat. Hactenus Gregorius. Non autem hæc ipſe ſolus dixit, vt ob hoc eum Caluinus peculiariter notare deberet, ſed & alii veteres (vt ſupra oſtenſum eſt.)

Actor. 7

In prædictorum confirmationem huc ea Veterum verba ſiſtamus, quibus terribilem Domini ſententiam: Multi ſunt vocati etc. & ſimiles explicant. Adhuc etiam manifeſtauit

Dominus

Lib.4. aduersus hæreses c.70
2.Cor.5

Dominus(inquit Irinęus)oportere eũ vocatiõe & iustitiæ operibus adornari,vti requiescat super vos spiritus Dei. Hoc est enim indumentum nuptiarum, dequo & Apostolus ait: Nolumus expoliari,sed superindui,vt absorbeatur mortale ab immortalitate. Qui autem vocati quidem sunt ad cœnam Dei, & propter malam suá conuersationem non perceperunt spiritum sanctũ, proiicientur,inquit,in tenebras exteriores. Manifestè autem ostendens,quòd idem ipse rex qui conuocauerit vndique fideles ad nuptias filij sui,& incorruptibile conuiuium donauerit, iubeat mitti in tenebras exteriores eum qui non habet indumentum nuptiarum, hoc est, contẽptorem. Quemadmodum enim in priore testamento non in multis illorum bene sensit: sic & hic multi vocati, pauci verò electi. Hæc Irinæus. Alludit hic Irinæus ad locum Apostoli, 1. Corinth. 9. & 10. vbi Paulus exemplo sui adhortatur fideles,vt castigent corpora sua & vitia mortificent,ne reprobi efficiãtur. Et adducit exemplum filiorum Israel,qui etsi omnes participes fuerint vniuersorum quæ Deus mirabiliter per Moysen fecit: tamen pauci admodum terram promissam sunt ingressi. Ita & Christiani negligentes præceptorum Dei non saluabuntur,etiã si omnium diuinorum sacramentorum participes fuerint. Omnia, inquit,facio propter euangelium, vt particeps eius efficiar etc. Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno,non quasi aẽrem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim,

Matth.22.
1.Cor.10
Matth.22.
1.Cor 9.

uerim, ipſe reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt etc. ſed non in pluribus eorum beneplacitũ eſt deo. nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque idolatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis etc. neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam etc. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum, etc. Hæc autem omnia in figura contingebant illis. ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaque, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Expendantur verba Apoſtolica: idem enim docent quod Gregorius locis ante adductis. Hieronymus Pelagium alloquens, Vis, inquit, audire facilitatem præceptorum Dei? auſculta quod dicitur: Quá arcta via & anguſta eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt qui inueniunt eam. Non dixit: Qui gradiuntur per eam: hoc enim difficillimum eſt ſed, Qui inueniunt eam. Pauci enim inueniunt, & multo pauciores ingrediuntur per eam. Aug. Eſt numerus inquit, ſunt ſuper numerum. Numerus certus eſt pertinens ad illam cœleſtem Hieruſalem. Nouit enim dominus qui ſunt eius, Chriſtianos timentes, Chriſtianos fideles, Chriſtianos præcepta ſeruantes, Dei vias ambulantes à peccatis abſtinentes: ſi ceciderint confitentes ipſi ad numerum pertinent. Sed nunquid ſoli ſunt? Sunt & ſuper numerum. Nam & ſi modo

1 Cor. 10.

Li 2. contra Pelag.

Matth. 7

Enarrans verſum: Multiplicati, ect. Pſal. 39.

2. Tim 2.

modo pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis malarum frequentiarum: quantis turbis implentur ecclesiæ, stipantur parietes, pressuris se vrgent, prope se suffocant multitudine. Rursus ab eis ipsis, si minus est, curritur ad amphitheatrum. isti super numerum sunt. Sed ad eos ista dicimus vt in numero sint, qui non adsunt, quia non audiunt à nobis, sed cum exieritis, audiant à vobis. Quanti fideles agglomerantur: quantæ turbæ concurrunt: Multi vere conuersi, & multi falsò conuersi: & pauciores sunt vere conuersi, plures falsò conuersi. Legatur & sermone 32. de verbis domini. Rursum contra Donatistas: Alios (inquit) ita dici constat esse in domo (Ecclesiæ) vt non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque iustitiæ: sed sicut esse palea dicitur in frumentis. Ex hoc numero innumerabili non solū turba intus premens cor paucorū in tantæ multitudinis comparatione sanctorum, sed etiam dirruptis retibus hæreses & schismata existunt. Et alio in loco: Duo pij (ait) vtrique vocati fuerāt, & vocantem secuti, vtrique ex impijs iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati: & tamen vni datur perseuerantia vsque in finem, alteri non datur.

Paulò infra.

Lib.7.c.51

Li. de bono perseuer.cap.8.

Audi nunc lector quid Caluinus, non dico contra vnum Gregorium, sed aduersum omnes iam citatos dicat: [Illud, inquit, Domini verbum de multis vocatis, paucis autem electis, pessime in eum modum accipitur. Vt germanum sensum habeamus, notandum, duplicem esse

Cap.14. suę Instit. § 29.

esse vocationis speciem. Est enim vniuersalis vocatio, qua, per externam verbi prædicationem omnes pariter ad se inuitat Deus: etiam quibus eam in mortis odorem, & grauioris condemnationis materiam, proponit. Est altera specialis, qua vt plurimum solos fideles dignatur: dum interiori sui spiritus illuminatione efficit, vt verbum prædicatum, eorum cordibus insideat. Interdum tamen iis quoque impertitur, quos ad tempus duntaxat illuminat: deinde suæ ingratitudinis merito deserit, & maiori percutit cæcitate.] Sed dic obsecro, Caluine, si speciali illa fidelium vocatione dignatur interdum dominus etiam eos quos est deserturus: quo pacto ipsi fideles ex ea certi esse queunt se non esse deserendos?

Ibid §. 28

Sed argutatur ex scripturis: [Solicitudine (inquiens) non perseuerandi liberauit nos Christus. nam in posterum certe respiciunt istæ promissiones: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. & eum qui venerit ad me, non eiiciam foras. Item, Hæc est voluntas eius qui misit me Patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi sed resuscitem ea in nouissimo die. Item, Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Ego cognosco eas, & vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Pater qui dedit mihi, maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Quid hinc nos discere voluit Christus, nisi vt confidamus perpetuo nos fore saluos, quia illius semel facti sumus?]

Ioan. 6

Ioan. 10.

Fateor

Fateor vitam æternam adepturos, quotquot Christo à Deo Patre dati sunt: sed an qui pius & fidelis est sit datus Christo à Patre, vt eum ad vitam æternam perducat, seu in pietate perseuerare faciat, id nec ipsi fideli & pio, nec cuiquã alteri homini citra peculiaré Dei reuelationem certum est. Sed neque ex eo, quòd semel Christi spiritum habuere, conuincitur eos à Patre datos esse Christo seu electos esse: cum Christus ipse dicat quosdam à fide in tempore tentationis recedere, multorumque charitatem refrigescere: & Apostolus Hæbreis scribat, quosdam semel illuminatos, qui donum cœleste gustarunt, & participes facti sunt Spiritus sancti, qui gustauerunt bonum Dei verbum virtutésque seculi vẽturi, prolabi, & sanguinem testamenti, in quo sanctificati sunt, pollutum ducere. Illud nihilominus verum esse non inficior, quod Christus venientem ad se non eiicit foras, non eiicit venientem, siue fide & charitate sibi adhærentem: sed eum duntaxat abiicit, qui Christo adhærere non vult, & si ei adhæserit, sponte recedit. Si quis, inquit, in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. vbi ostendit, aliquem qui sibi adhęrebat fide & charitate, posse recedere, & in eo charitate nõ permanere: quẽ Apost. postea foras eiiciendum minatur, sicut rectè annotauit in eum locum Cyrillus.

Luc 9. Matth. 24 Heb. 6. Ioan 15.

Remißionem peccati, iustitiam, & vitam proponi in scripturis, tanquam certa conditione accipienda.

Cap. 12.

Sæpe

SÆpe dicendũ venit, in ſcripturis remiſsionem peccati & bona opera vitamque æternam proponi non tanquam iam per Christum ſint data nobis, & nunc ſolum agnoſcenda: ſed veluti ab eo certis modis & conditionibus accipienda. Vnde dicit ſe veniſſe vt vocaret peccatores ad pœnitentiam: ſe medicum vocat: quia nimirum potens eſt & paratus mederi infirmis, ſed illis, qui ſe illi curandos præbent, qui manum vulnera rimantem tolerant, qui potiones ab eo præparatas non faſtidiunt. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; ſi ſcilicet veneritis. Ignoras quomodo reficiet? audi: Tollite, inquit, iugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Ecce quo pacto tranquillam reddit conſcientiam ſi tollatur eius iugum, ſi ab eo diſcatur humilitas & manſuetudo. Ipſe eſt fons patens domui Dauid & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Ipſe habet aquam viuam: ſed non ſufficit hoc credere, verum oportet & petere, & tũc demum eam communicabit: Sicut ipſe dicit Samaritanæ, Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Ipſe Chriſtus oſtium eſt, & paſtor, paſcens cibo carnis, & potu ſanguinis ſui oues ſuas refocillans, defendénſq; à lupo. ſed oues per eum intrare debent, vocem eius audire, & ipſum ſequi: alioquin ab eo non paſcendę. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit co-

Matth. 9

Matth. 11.

Zach. 13

Ioann. 4.

Ioann. 4

Ioann. 12

Ioann 10.

Prouer. 9.

lumnas septem immolauit victimas suas miscuit vinum,& proposuit mēsam suam, Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me,& insipientibus loquuta est, Venite, comedite panem meum,& bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam,& viuite,& ambulate per vias prudentiæ. Ecce hic Christi beneficium ita describitur vt tamē & à nobis requiratur vt veniamus,comedamus,bibamus, relinquamus infantiam,& ambulemus per vias prudentiæ. Ipse stat ad ostium cordis nostri & pulsat: sed aperire ei oportet, vt ingrediatur ad nos, & cœnet nobiscum. Ipse Christus se dicit viam,certam vtique & rectam, sed ambulare per eam oportet, eamque tenere,vt ad veritatem & vitam perueniatur. Vitis vocatur Christus, quia virore gratiæ suæ palmites sibi adhærentes viuificat atque fœcundat. Caput vocatur,quia membra sua dirigit & saluat. Oliua, quia omnes sibi insertos pingues reddit. Sed certare oportet atque solicitum esse,vt ipsi Christo veluti palmites & mēbra,atque velut surculi oliuæ inseramur, succūque atque influxum eius non impediamus, neque exscindamur. Turris quoque fortissima est nomen domini à facie inimici: sed nobis ad eam currendum est,& in ea permanendum,vt tuti simus. Sicut & ad Noë arcam (cui ipse Christus comparatur) confugere, & in ea permanere debebat, quisquis iam inundante diluuio perire nolebat. Ipse Christus serpens est erectus in cruce ad sanādos nos: sed oculos ad eum oportet sustol-

Apo.3. Ioan.14 Ioan.15. Ephes.4 Rom 11 Psal.60 Num.21 Ioan.3.

tet ſuſtollere. Ipſe ſignum eſt leuatum in nationes ad congregandum diſperſos Iſrael: ſed ad eũ concurrere, & cum eo ſtrennuè bellare oportet. Ipſe coronaturus eſt, ſed vincentes mundum: redditurus mercedem, ſed laborantibus & certantibus. Ipſe ſaluabit, ſed perſeuerantes. Ecce huiuſmodi ſimilitudinibus, ex ſcripturis deſumptis, adumbratum eſt Chriſti officium in remittendis peccatis, iuſtificandis atque ſaluandis hominibus: ſed in omnibus auditum eſt, quòd & ipſe aliquid à nobis requirat, vt beneficiorum eius ſimus participes. Certiſsima nouit eſſe fides verba Dei, quibus ad Chriſtum prout ipſe præſcripſit cõfugientibus promittitur ſalus: verum num tu conditiones requiſitas habeas, ſiſve ſeruaturus eas, neque docet Fides, neque verbum Dei. Certa eſt igitur illa Dei bona voluntas erga omnes, qua promittit exaudire inuocantes, & ſaluare perſeuerantes, ſed illa Dei bona voluntas, qua ſtatuit dare inuocationem & perſeuerantiam, tibi de te certa non eſt. vt ait Auguſtinus lib. 1. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 11. Ideoque ingenuè Brentius fatetur ſe Auguſti. in eo dicto non recipere.

Eſa. 11. Apoc. 2. 2. Tim. 2 Iacob. 1 Matth. 10 Matth. 10.

Soluitur obiectio ex cap. 8. ad Rom. facta: & oſtenduntur ea quæ certò parata ſunt electis, bona ſpe expectari ab omnibus fidelibus. Cap. 13

AT obiicias: Apoſtolus dicit, Deus proprium filium ſuum pro nobis tradidit, quomodo non omnia etiam cum illo nobis donauit? Rurſum, ſine vlla conditione dicit.

Rom. 8.

Ibidem.f. Apoſtolus: Interpellat pro nobis: ſemper quoque exauditur pro ſua reuerentia. Impetrat igitur, & dat nobis ſuam gratiam. Rurſus Apoſtolus dicit: Certus ſum, quia neque mors, neque vita neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neqūe profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. item Ioannes: Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus. Item, Scimus quia ex Deo ſumus. Et iterum Paulus: Nos, inquit, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Igitur omnia Chriſti beneficia ſcimus nobis data. Reſpondendum eſt, in ſcripturis ſæpe agi de electis Dei, & filijs promiſsionis, & prædeſtinatis ad vitam æternam, qui omnes Dei gratia & iuſtificantur, & ſaluantur. Certi ſumus, quòd nullus iſtorum à charitate Dei ſeparabitur vſq; ad mortem, ſed omnes hi, à minimo vſque ad maximum dimiſsis omnibus peccatis cognoſcẽt dominum, facie ad faciem, ſicut eſt. Hi ſunt, qui dati ſunt Chriſto a patre: pro his non pro mundo rogat Chriſtus vt credant, & vnum ſint inter ſe, & cum eo ſint, & videant claritatem eius. His Chriſtus datus eſt, vel dabitur: non tantum vt eius participes ſint ſi inuocauerint eum, ſed etiã vt inuocent eũ, & ſic participes eius fiant. De his Apoſt. ad Rom. 8 manifeſtè dicit: Quos prædeſtinauit hos & vocauit, & quos vocauit hos et iuſtificauit: quos aũt iuſtificauit, hos & glorificauit,

Marginal notes: 1 Ioan 2. — Heb. 5. — Rom. 8. — 1. Ioan. 3 — 1 Cor. 1 — Reſpõſio. — Hier. 31 — Ioan. 17

glorificauit. Quod aũt subiungit: Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiã proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Et infra: Christus interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? de eisdem prædestinatis dicit. Ideo verò mutat tertiam personam in primam, non sic dicens, Nulla creatura poterit separare prædestinatos à charitate Dei, sed sic: Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei: quia spe bona atque fiducia, se & ipsos Romanos in numero prædestinatorum collocat: vt & alias non raró solet. exempli causa, Verbum, inquit, crucis iis qui salui fiũt, id est, nobis, Dei virtus est. Et infra: Ipsis vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutẽ, & Dei sapientiam prædicamus pro eo quòd dicit, Vocatis (scilicet secundùm propositum gratiæ Dei) dicit supra, nobis: nec hoc solum facit in prima persona, sed in secunda persona loquẽs in eodẽ capite: Deus confirmabit vos, inquit, vsque in finem, sine crimine, in die aduentus domini nostri Iesu Christi. & Deus non patietur vos tentari supra id quod potestis. Et ad Colos. Cûm (ait) Christus apparuerit vita vestra tũc & vos cũ ipso apparebitis in gloria. Nũquid putãdum est Apostolum Paulum fide certum fuisse, quòd Corinthij & Colosenses saluandi essent? non vtique: sicut nec fide certus erat, quòd fides Timothei esset non ficta etiam quãdo dicebat: Certus sum, quod in te est fides non ficta. Non enim verbum Dei vel Euangelium certos nos

1.Cor. 1

Rom. 8

1.Cor. 1.

1.Cor. 10.
Colos. 3.

2.Tim 1

facit, quid alij in conſcientia ſua habeant vel ſint habituri. Nemo enim nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Sed vtique hæc bona ſpe, humano more, ex multis bonis argumentis dicuntur: quemadmodum ab eodem dicitur, Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Sicut enim docet Auguſtinus: Cum Eccleſiam alloquimur, de ipſis electis & reprobatis ita loquendum ſpe bona, velut omnes præſentes ſint electi. Sanè ex hoc quod Apoſtolus non ſolum de ſe, ſed & de alijs dicit, Certus ſum quod neque mors, neque vita, neque angeli, etc. clariſſime cõuincitur, non agere de certitudine Lutheranæ fidei. Nondum enim eò ſunt progreſsi Lutherani, vt dicant nos certos eſſe de quouis altero quòd ſaluabitur.

1. Cor. 2. | Philip. 1. | Libr. 2. de bon. perſeuerantiæ cap. 22. | Rom. 8.

Explicatur dictum Apoſtoli: Vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. *Cap. 14.*

SImiliter & in illo Apoſtoli: Nos ſpiritum accepimus qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: Nobis intelligitur, electis, & prædeſtinatis, & perſeueranter diligentibus Deum. ſicut ipſe eodẽ loco dicit ex Eſaia: Oculus non vidit, ne auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, ſiue iam in hoc tempore, ſiue in futuro. & adiungit: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quod indubie ſic intelligitur: quia quoſdam homines ſcrutantes facit, non quòd omnes fideles faciat ſcrutatores profundorum Dei, ſed tantum perfectos,

1. Cor. 2. | Eſa 6

fectos. De quibus Apostol.ibi loquitur, dicens, Sapientiam loquimur inter perfectos. quales nō erant Corinthij, vtpote adhuc carnales, & lacte potius indigentes quam solido cibo. Hęc autem sapientia,& hæc profunda Dei non sunt particulares illæ persuasiones,quibus fingitur Apost. firmiter statuisse se possessurum vitam æternam, & sibi Deum propitium, cum etiá fingatur hæc persuasio tunc fuisse omnibus Christianis cōmunis : sed hæc profunda , & hæc sapientia, est ipsa doctrina fidei,spiritualiter considerata atq; tractata: quæ certe cibus est fortium,vt ait Aug. Hæc profunda sunt illa de quibus ait dominus Apostolis: Adhuc multa habeo vobis dicere,sed non potestis portare modò: qui tamen habebát fidem & mundi erant propter sermonem Christi. Hæc igitur profunda & magnifica,quæ præstitit Deus humano generi, sunt ea quæ Paulus per spiritum sibi datum dicit se nosse. ac ita nil omnino hic dicitur de ea fide, qua quisque statuit sibi omnia peccata remitti.

Ibid. supr.

Enchirid. cap 114.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

1. Cor. 2.

Explicatur quo sensu dicat Ioannes: Scimus quoniam cum apparuerit,etc. Scimus quod ex Deo simus. *Cap. 15.*

SImili modo Ioannes Apostolus nomine primæ personæ electos Dei significat,dū ait: Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus: eisque bona fiducia se connumerat,non certa fide. Quod satis comprobat.dum superius de Antichristis dicit : Si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 2.

Nunquid

Nunquid enim Ioanni, quiſquis ſemel inſertus eſt viti & oliuæ fructiferæ Christo amplius non poteſt excidere? & ſi fortè cadat, certumne ei argumentum eſt, ipſum non fuiſſe chriſtianum? abſit vt Ioannes cōtradicat Chriſto, & ſuo coapoſtolo Paulo dicentibus, quoſdam ex vitæ & oliua excindi. Sed ideo dicit: Si fuiſſent ex nobis, permanſiſſent nobiſcum: quia ſi ex numero electorum fuiſſent, ad mortem vſque à fide non defeciſſent. Frequenter autem Ioannes (ſicut et Paulus) tantum de electis & prædeſtinatis loquitur. vt cum in euangelio eius Chriſtus dicit: Oues meæ non peribunt in æternum: & Alias oues habeo, quas oportet me adducere ad ouile, & vocem meam audient: & Ieſus moriturus erat, vt filij Dei qui diſperſi erant, congregarentur in vnum. Simili locutione dicit Auguſtinus: Ipſa iuſtitia eſt ex fide, qua credimus nos iuſtificari, hoc eſt, iuſtos fieri gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, vt inueniamur in illo non habentes noſtram iuſtitiam quæ ex lege eſt. ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide: vtique in fide qua credimus nobis iuſtitiam diuinitus dari, non à nobis in nobis noſtris viribus fieri. Per illud enim: Nobis, homines intelligit qui iuſtificantur, quibus ſe connumerat ſpe bona. hi non iuſtificātur niſi fide qua credunt omnes qui iuſtificantur iuſtificari gratia Dei, non viribus ſuis. Quomodo & Petrus dicit: Per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & patres noſtri per eam crediderunt ſe ſaluari. Sic

Rom. 11. Ioan. 15. Ioan 10. Ibidem. Ioan. 11. Epiſt. 106. Actor 15.

rurſum Auguſtinus lib. 2. Confeſs. cap. 7. non certa aſſeueratione, ſed bona fiducia peccata ſua vt glaciem ſoluta dicit.

Illud autem Ioannis dictum: Scimus quoniã ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno po ſitus eſt, deſignat, doctrinam chriſtianam eſſe diuinam: vti declarat, quod ſequitur, Scimus quoniam filius Dei venit: & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, & ſcimus in vero filio eius, Sicut in Euangelio dicit de ſeipſo, Scimus quia verum eſt teſtimonium eius. & ſuperius cum diceret antichriſtos ex Deo non eſſe, dicit de ſe & ſimilibus doctoribus veritatis: Nos ex deo ſumus. Et in fine capitis tertij, antequam aggrediatur ſermonem de antichriſtis, dicit: In hoc ſcimus quoniam manet in nobis (ſcilicet tãquam veracibus doctoribus) de ſpiritu quem dedit nobis. Variis enim donis Spiritus ſancti, vt ſunt chariſmata linguarum, miraculorum, & prodigiorum, aliaque ſimilia, teſtatur Deus doctrinam eſſe veram.

1. Ioan. 5.

Ioan. 1.

1. Ioan. 3

Obiectio ex illo ad Rom. Ipſe ſpiritus, teſtimoniũ reddit, diſſoluitur, & differre oſtenduntur fides & experientia rei quæ ante credebatur. *Cap. 16.*

DEnique obiicias. Ipſe ſpiritus, teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Porro Spiritus ſancti teſtimonium, verbũ eſt Dei. Fide igitur certa recipiẽdum eſt, & nihil omnino dubitandum quin Dei filij ſimus. Imo ipſe Chriſtus videtur euidententer hanc fidem exigere, dum paralytico dicit: Confide

Rom. 8.

fide fili,remittuntur tibi peccata. Sicut etiã peccatrici,ad pedes suos lachrymanti, dicit: Remittuntur tibi peccata. Et latroni in cruce pendenti certo asserit: Hodie mecum eris in paradiso. Fide enim verba Christi debebant amplecti. igitur ipsi iustificati sunt fide, qua crediderunt Deum sibi esse propitium propter Christum. Itaque, cum hæc scripta sint,non tantum propter ipsos, sed & propter nos simili fide & nos iustificabimur, si credamus nobis peccata remitti.

Luc.7.
Luc.23.

Ad obiectionem responsuri, videamus quale sit testimonium, quod reddit spiritus spiritui nostro quod simus filij Dei: vt tota hæc res magis elucescat. Fides ab Apostolo dicta est argumẽtũ siue conuictio rerum non apparentium. hoc est: animi assensus, quo homo assentitur certo, tanquam omnino conuictus infallibili Dei authoritate, iis rebus quas nec sensu, nec ratiocinatione aliqua, nec experientia compertas habet: imo quas antequam fidelis esset, reputabat absurdissimas. Elenchus enim argumentum dicitur cõuincens resistentẽ. siue, vt Aristoteles ait, syllogismus contradictorius. Quapropter, fides nequaquam est experimentum rerum creditarum: vt nugatur Monhemius. imò vero experientia & fides, planè sibi mutuò opponuntur. Fides enim est non apparentium: experientia, apparentium. Quod, vt facilius intelligatur, exemplis explanemus. Noë credidit diluuium venturum: at cùm diluuium vidit, illud non amplius credidit. Abraham & Sara crediderunt Deo prædicenti, eis nasciturum filium:

Respõsio.
Heb.11.
Genes.6
Genes.18.

filium : at nato Isaac, non amplius fidem, sed experientiam huius rei habuerunt. Impij nunc non credunt æterna tormenta: in die iudicij nō credent illa, sed experientur. Sicut igitur Abraham, per fidem accipiendæ prolis venit in experientiam acceptæ : ita iusti ex fide diuinarum promissionum, & remediorum assumptione, atque Dei inuocatione eò paulatim proficiunt, vt etiam in hoc mundo, quadam ratione & ex parte experiantur, quod ante tantum credebant.

Aug. lib. 2 de baptis. paruulor.

Quæ experientia gustus Dei vocatur. De quo Apostolus Petrus: Rationabile lac, inquit, concupiscite : vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustatis quoniam dulcis est dominus. Et Paulus ad Hebræos : Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam. Duplex autem est gustus Dei pro duplici animæ parte, intellectu & voluntate: siue vt scriptura loquitur, mente & corde. Gustus mentis, intellectus siue sapientia vocatur. Cuius meminit ibi propheta : Nisi credideritis, non intelligetis. Apostolus quoque: sapientiam, ait, loquimur inter perfectos. Exempli gratia: Primū credidit homo originale peccatū. posteà, sensim proficiendo eo venit, vt verè intelligat & videat hominis naturam esse peccato deprauatam. Gustus autem Dei qui in voluntate est, vocatur iustitia, siue esuries & sitis iustitiæ. Quanto enim plus gustatur Deus, tanto

1. Pet. 1.

Heb. 6.

Duplex dei gustus siue experientia.

Esa. 6.

1. Cor. 2.

tanto plus esuritur. Homo prius tantum credebat, se per Christum, si ad eum confugeret, mutandum ex iniquo in iustum, ex impuro in castum, ex guloso in sobrium. Cum iam mutatum se videt, & abominari iniquitates quas ante solebat amare: experitur in parte id quod credebat antè, Deum scilicet iustificare inuocantes se. atque ex ea iustitia redditur conscientia tranquillior. Hæc autem tranquillitas conscientiæ, est alius domini gustus: quiquidem in futura vita non abolebitur, sed perficietur. Vnde & in istis Spiritus sancti donis, intellectu, iustitia, pace cõscientiæ, & gaudio, consistit arra futuræ hæreditatis. Sicut enim arra est pars pretij aut stipendij, ita ista sunt pars vitæ æternæ. Et vt stipendio tributo non aufertur arra: ita veniente plenitudine fœlicitatis hæc non tollentur. Quamobrem, hæc experientia, atque hic gustus, non est fides vel aliquid fidei. Ipsa enim fides in futuro seculo auferetur, cum omnia apparebunt.

Vide Augusti. ser. 13. de verbis Apost. in fine.

Imò quanto maior est hæc experientia, tanto magis minuitur imperfectio & obscuritas quæ est in rebus creditis (nimirum amplius innotescentibus rebus) licet firmior fiat fides, tum ex ea parte qua est conuictio atque assensus, tum ex illa qua est sperandorum, siue sperantium (vt Augustinus legit) fundamẽtum. Quanto enim magis experitur quis potentiam, bonitatem & fidem alicuius erga se, tanto firmius ei credit fiditque amplius in reliquis quæ ab eo expectat. & expletur illud Psalmi, Sperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti

Tract. 79. in Ioan

Psal. 9.

quisti quærentes te domine: hoc est, illi fortissime sperent, qui experti sunt. te adesse quærentibus te. illi psallant Domino, & annuncient aliis opera domini, quod non sit oblitus orationem pauperum. Prior autem gustus, ipsa sapientia perfectorum est, qui longa consuetudine sensus habent iã exercitatos ad discrimen boni & mali, qui sapientiam loqui possunt inter perfectos. Sicut enim ait Augustinus, ad cognitionem sincerissimæ sapientiæ pauci spirituales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidẽ parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant; cæteram quippe turbam non intelligẽdi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Posterior verò gustus, omnibus iustis communis est. Omnes enim, & esuriunt, & sitiunt iustitiam: omnes vident se conuerti, aliquousq; saltem ad pietatem: omnes conscientiã aliquantulum pacatam habere incipiunt. Vnde Apostolus dicit eos accepisse Spiritum sanctum velut arram hæreditatis æternę. Testimonium igitur quod perhibet Spiritus in cordibus iustorũ, non verbum est Spiritus sancti, dicentis: Tu es filius Dei: vt testatus est de naturali filio suo: Hic, inquiens, est filius meus dilectus. Nam si hoc modo testaretur Spiritus S. omnino oporteret credere ei⁹ testimonio sed testimoniũ ei⁹ est experiẽtia quædã diuinæ gratiæ atque iustitiæ, & gustus ille Dei de quo iam diximus. Porrò animaduertendum est, omnem experiẽtiam in singularibus consistere. iustitiam quoque siue actus bonos, esse circa particularia. Vnde experientia iustitiæ,

Cap. 4. libri contra epistolam fundamẽti.

Ephes. 1.

Matth. 3

Testimonium S. S. quid?

iuſtitiæ, maxime eſt de particularibus. circa quæ quum facillimum ſit falli (vnde eſt illud medicorum. Experientia fallax) veriſsimum eſt, hanc experientiam iuſtitiæ plane eſſe fallacem. Fortè expertus es, te poſſe ab adulterio abſtinere: ſed nondum expertus es, num ſaltem, ſi aliena bona nemine cernente inuenires, ſtatim ea eſſes reſtituturus. Et vt hæc de te nòris, innumera interim ſunt in particulari peccata, quæ neſcis eſſe peccata. Huc accedit, quod & ſi noſſes ea qualia ſint, neſcis tamen an vere ſis paratus nunc vitare: & eſto quod vere paratus ſis, ſaltem quo fine hæc facere paratus ſis ignoras: ſicut ait in oratione ad Deum venerabilis * Beda: Si quid boni tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam quave à te diſtrictione penſetur, ignoro. Et Auguſt. Nonnunquam, ait, ſunt apertiſsima vitia, quæ aliis vitiis vincuntur occultis, quæque putantur eſſe virtutes: in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa.

*Li.5. cómẽ. in Lucã ad illud ca. 18. Omnis qui ſe exaltat, etc.

Aug. li. 21. de ciuitat. Dei ca. 16.

Sicut igitur medicus cùm experitur ſe ſanare hominem, teſtimonium habet artis ſuæ boniq́ue progreſſus in hominis curatione, ſed fallax: nam fortaſsis curatus eſt infirmus alia ratione quam pharmaco eius: & etiam ſi in hoc caſu bene progreſſus ſit, neſcit tamen an alios morbos ſimiliter curare, numve pari dexteritate id poſſet: nihilominus quanto plures ægrotos pluréſque morbos curauerit, tanto certius conſequitur teſtimonium ſuæ artis, & diligentiæ, ſiue fœlicis progreſſus: ita iuſti, quanto ſæpius atque diutius rectè egerint, & præcipue in tribulationibus:

nibus: tanto maius eis est testimonium istud spiritus. sicut ait Apostulus. Patientia probationem operatur: hoc est, ostendit nos nobis, quam fortes simus, quam iusti. Probatio autem spem. Et sicut scioli medici, ante omnem experientiam quiduis pollicentur: vbi autem ad rem ventum fuerit, plerumque reperiũtur imperiti, etsi casu vno ac altero forte fortuna bene cedat eis: ita quidam qui se iustificant, sibi persuadent statim se esse iustos, & ex alia causa quam ob veram iustitiam, foris agunt quæ videntur iusta. erogant in cibos pauperum omnes suas facultates, & tradunt corpus suum ad incendium: sed coram Deo, qui rem intuetur, inueniuntur iniqui.

Rom. 5.

1. Cor. 13

Exemplo Esaiæ, Abrahæ, Noë, Israelitarum, & Apostolorum, declaratur testimonium Spiritus: & cõfutatur fides Monhemij. *Cap. 17.*

ESaias Propheta, conscientia peccatorum quæ labiis suis peccauerat, stimulatus se miserum clamat, nec prædicare populo audet, donec audiat à Seraphin: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Monhemius autem statim certus est peccatorum iam remissorum.

Esa. 6

Abraham post plurima certamina, elapsis plusquam viginti & sex annis ex quo secutus fuerat dominum, tandem tentatur à domino, & post tentationem audit: Nunc cognoui, hoc est (interpretibus Augustino, & Hilario) cognoscere te feci, quod timeas Deum.

Genes. 22. Quæst. 58. & 57. in Genes. & c. 32. li. 16. de. ciuita. dei in fine Lib. 9. de Trinit.

At euan-

At euangelicus meus Lutheranus,primo die ſuę conuerſionis (imò auerſionis) certum ſe eſſe gloriatur,quod veniam peccatorum,ſuorum habeat·quæ non niſi Deum timentium eſt. Quid non audet hæretica præſumptio? Caluinus dicit coactam eſſe expoſitionem Auguſtini in hoc verbo Geneſeos: Nunc cognoui quod timeas Deum, iam recitatam. veram autem hanc (quam ipſe dat) Nunc cognoui id eſt, nunc expertus ſum. tanquam humano more hoc dicat Deus, ſitque hic non res aliqua, ſed locutio ſolùm; quaſi Deus cùm dicitur in ſcripturis aliquem tentare, vt notum fiat quid in animo eius lateat, nō ſignificetur, ipſi homini in primis, propriam vel iniquitatem vel iuſtitiam oſtendere. Vnde eſt illud Deuteron·8. Adduxit te dominus Deus tuus per deſertum quadraginta annis, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur: vtrum mandata illius cuſtodires, an non. Vbi clare deſignatur, quòd lex oſtendit homini peccatum & malitiam ſuam, quemadmodum docet Apoſt. ad Rom, 7.

Geneſ. 22.

Per Pſeudoprophetam tentat dominus populum Iſrael, an diligat eum in toto corde, necne, hoc eſt, demōſtrat ipſi populo an diligat eū nec ne. Si enim Pſeudoprophetam occidant, ex hoc poſſunt veluti ſigno quodam cognoſcere, ſe Deum diligere. At Lutherano, & eius ſectatoribus, ridicula ſunt omnia hæc. Ipſi enim ilico ſciunt, ſe ambulare ſecundum Spiritum, eo quod credant peccata ſibi remiſſa. Et cum hæc fides ſimul eis afferat charitatem & bona opera,

Deuter. 13

ſciunt

ſciunt ſe Deum diligere multo certius quam Iſraelitæ cognoſcebant, quando Pſeudoprophetam non audiebant. Quid putamus? an Abrahã per 26. annos non habuerat teſtimonium Spiritus quòd eſſet filius Dei? abſit. Quid ergo dicit Deus: Nunc cognoui quod timeas Deum? Potuiſſet iuxta Lutherum Abraham dicere: Et ego viginti ſex annis certus fui per fidem, quod timerem te: quorſum igitur dicis, te nunc hoc cognoſere ſeu oſtendere mihi? At Catholici ſciunt, ſæpe Abraham habuiſſe teſtimoniũ Spiritus quod eſſet Dei filius, longe certius quam vulgus iuſtorum habeat. Sed tamen quia omne hoc teſtimonium erat tantum ſignum quoddam velut experimentale atque coniecturale, non æquiualebat verbo Dei dicentis: Tu times Deum. imò Abraham, etiam poſt tam inſignem obedientiam, non iudicaſſet certo ſe timere deũ necſe iuſtificaſſet ante eum: cogitans quod ipſe ſolus probat corda & renes: niſi Deus ipſe dixiſſet: Nunc cognoui quod times Deum. Alioqui, ſi Abraham ab initio per fidem hoc ſemper ſtatuit, quorſum opus erat nunc ei commemorare, dicendo, Cognoui quod timeas Deum? An nunc primum docet eum fidem Euangelij? Similiter poſt quingentos annos non diceret ſcriptura Deum dixiſſe Noë; te vidi iuſtum coram me in generatione hac: ſi hoc credidiſſet ille ex quo iuſtus factus eſt. Nec Apoſtolis in vltima cœna dixiſſet Chriſtus: Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis: ſi ex quo iuſti fuerant, certi fuiſſent ſe mũdos eſſe.

Geneſ. 22.
Hiere. 17.
Geneſ. 22.
Geneſ. 7
Ioan. 13

Credamus potius ſcripturæ, dicenti quod longè antè per fidem iuſtificatus eſt Abraham, & quod poſt omnia credidit verbo Dei: Nunc cognoui quòd timeas Deum. Nec fide huius verbi iuſtificatus eſt, ſed hanc reuelationem veluti quandã conſolationem merito prioris iuſtitiæ accepit. Apoſt. ipſe clare explicat cuius verbi fide iuſtificatus ſit. Qui, inquit, contra ſpem in ſpem credidit: vt fieret pater multarum gentium ſecundum quod dictum eſt ei, Sic erit ſemẽ tuũ, ſicut ſtellæ cœli & arena maris. Et non infirmatus eſt in fide: nec conſiderauit corpus ſuum emortuũ, cùm iam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluã Saræ. In repromiſsione etiã Dei nõ hæſitauit diffidentia; ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſsime ſciens, quia quæcumque promiſit Deus, potẽs eſt & facere. Ideo reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ecce fide potentiæ Dei & promiſsionis eſt iuſtificatus, non fide qua ſtatuebat ſe iuſtum eſſe. Quòdque ſimili fide nos iuſtificemur, ſubdit Apoſt. Nõ eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, Quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam: ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum dominum noſtrum à mortuis qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtram. Itẽ vbi ait, Hoc eſt verbũ fidei quod prædicamus: Quia ſi credideris in corde tuo, quòd dominus eſt Ieſus, & cõfeſſus fueris in ore tuo, quod Deus illũ ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autẽ fit confeſsio ad ſalutem. Di-

Rom. 4
Geneſ. 15.
Rom 4
Rom. 10
Eſa. 28.

tem. Dicit enim ſcriptura, Omnis qui credit in il lum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci: nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini, ſaluus erit. Sic & in eadem epiſtola dicit, iuſtitiam Dei eſſe per fidem in ſanguine eius. citanſq; Abacuc teſtimonium, docet, iuſtum ex fide venturi Saluatoris, qui ab Abacuc promittitur, viuere. Dicitque in Euangelio reuelari iuſtitiam ex fide in Deum fidelem atque veracem in ſuis promiſsis. Sic & Corinthios docet quodnam ſit euãgeliũ, cuius fide ſaluentur: Notum facio vobis euangeliũ, &c. per quod & ſaluamini. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Similiter Ioannes Apoſtolus, deſcribens fidem per quam viuificamur: Hæc, inquit, ſcripta ſunt vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Qualem fidem & Chriſtus proponit: Ipſe pater amat vos quia vos me amaſtis & credidiſtis quia à Deo exiui. Hanc vero fidem, qua quiſq; ſtatuat ſe iuſtificari, nuſquam requirit ſcriptura, ſed docet, quod fide omnipotentiæ Dei, & illius eius promiſsionis: Omnis qui inuocauerit dominũ, ſaluus erit (quæ per Chriſti meritum cõpletur) oriatur in nobis ſpes, ex ſpe inuocatio, ex inuocatione ſequatur impetratio iuſtitiæ, ita vt ſimilis ſit fides iuſtificans illi fidei, per quam ingreſsi

Ioel 2
Actor. 2
Rom. 3.
Rom. 3
Abac 2
Rom. 1.
1. Cor. 15
Ioan 20
Ioan. 16
Ioel 2.
Actor. 2.
Rom. 10

gresſi ſunt Caleb & Ioſue terram promiſſam.

Num. 14. Credebant hi promiſsioni Dei, qua promiſerat populo Iſrael terram Chanaan. At quod ipſi in propria perſona intrarent, non ſtabuebant. Sciebant enim Deum veracem fore, etiam ſi ipſimet terram illam non ingrederentur: habebantque eandemque cum Moyſe & Aaron fidem promiſsionis: qui certe ſe non credebant ingreſſuros terram tametſi hoc ſperarit Moyſes, et propterea orauerit antequam intelligeret decretum eſſe quod ipſe non introiret. Explicant autem fidem ſuam Caleb & Ioſue dum dicunt: Si propitius fuerit Dominus inducet nos in terram Chanaan.

Deut. 3.
Num. 14.

Christus ſanauit infirmos fide omnipotentiæ ſuæ, non fide qua illi ſtatuerant ſe ſanandos. Cap. 19.

Talis eſt rurſus fides iuſtificans, qualis erat eorum quos ſanauit ab ægritudinibus ſuis Chriſtus. Audi ergo qua ex fide ſanauit leproſum. Domine, inquit ille, ſi vis, potes me mundare. Hanc fidem intuitus dominus, tangẽs eum dixit: Volo, mundare. & mundauit eum. Hæc fides eſt potentiæ Chriſti: ex qua ſpes oriebatur quod ſanaretur. Sicuti & Hemoroiſſa, non certa aſſeueratione, ſed bona fiducia dicebat: Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero. Sicut item non aſſeuerans, ſed bono animo propoſito dicebat Deo Dauid: Non obliuiſcar ſermones tuos. Et orando, non aſſerendo dicebat. In te domine ſperaui, non confundar in æternum. ſicut & in eodem Pſalmo poſtea dicit:

Luc. 5.
Matth. 9
Pſal. 118.
Pſal. 30.

Illuſtra

Illuſtra faciem tuam domine ſuper ſeruum tuũ, ſaluum me fac in miſericordia tua, domine non confundar quoniã inuocaui te. Sicut inſuper nõ aſſertiones ſed oratiões ſunt: Aſperges me domine hyſſopo, & mũdabor: lauabis me etc. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, etc. Similiter non tam aſſerendo, quam ſperando dicebat: Nõ timebo mala quoniam tu mecum es. Item Centurio ille, Capharnai, per quam fidem impetrauit ſeruo ſanitatem, niſi qua agnouit Chriſtum verbo curare poſſe? Item, quam fidem exegit Deus à cæcis? Creditis, inquit, quòd hoc poſſum facere vobis? at illi dixerunt, Vtique. tunc tetigit oculos eorum, dicens: Iuxta fidem veſtrã fiat vobis, hoc eſt, id quod me poſſe creditis, volo vt fiat vobis. Iuxta Lutherum omnino erat conueniens, vt hi dicerent Chriſto: Certi ſumus quod nos mundabis, illuminabis, & ſanabis.

Pſal. 50

Pſal. 22

Matth. 8

Matth. 9

Probatur, ob talem fidem Chriſtum remittere peccata, quali legitur ſanaſſe corporales morbos: ex Paralytico, Peccatrice, Latrone, Abel. *Cap. 18.*

CErtè ob eam fidem Dominum remittere peccata ob quam legitur ſanaſſe corporales morbos: ſatis docet hiſtoria paralytici ſanati, quæ eſt hæc, Videns Ieſus fidem illorum (portantium atque eius qui ferebatur) dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Fides qua credebant Chriſtum eum poſſe ſanare, & ſpes, ſolicitudoq; Chriſtum hac de cauſa rogandi. tanta (inquam) illa ſolicitudo, vt etiam per tectum denudatum hominem illi demitterent,

Matth. 9

hicque se demitti fineret impetrauit à domino remissionem peccatorum ac sanitatem. Nec illud. Confide fili: significat Paralyticum debuisse statuere, quòd sibi remitterentur peccata, sed iubet dominus eum sperare sanitatem, quia peccata ignosceret, ob quæ merito paralyticus erat. Sicut cum ad Emoroissam diceret. Cōfide filia, fides tua te saluam fecit: non exigitur vt certò credat sanitatem se consecuturam: quippe quæ iam sanata erat per fidem, sed mandatur vt bono sit animo, nec terreatur velut punienda à Christo, quòd immunda (iuxta legem) vestem eius tetigisset: nec metuat, ne plaga redeat. Ad cuius rei significationem, scribit Marcus mulierē metuisse & tremuisse ob verba Christi: Quis me tetigit? &: Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem ex me exiisse: & Christum ei tandē dixisse, Esto sana à plaga tua, hoc est, permane sana. Paralyticus audito Christi verbo, Remittuntur tibi peccata tua: illi quidem credidit, verum non per huius finem remissionem obtinuit, sed per fidem priorem: vt dictum est. Sic & peccatrici, in domo Simonis Leprosi, per fidem & dilectionem, qua ad Christi pedes procidit, eos lauit lachrymis, vnxit vnguento, tersit capillis: remissa sunt peccata multa. At fides qua credidit Christo dicenti: Remittuntur tibi peccata, posterior fuit ipsa remissione, eamque non impetrauit, sed secuta est, sicut in Abraham, Noë, Apostolis & paralytico declaratū est. Sic & Latroni promissus est paradisus, nō ob eam fidem quæ secuta est promissionē: qua credidit se ipso

Matth. 9

Leuit. 15

Matth. 5

Luc. 7

Luc. 23.

die

die mortis suæ in paradiso futurum, sed per eam qua peccatum agnouit, & Christi innocentiam confessus est, latronem socium corripuit, timorisque Dei admonuit: & Christum agnoscens regem futuri seculi, qui sua peccata posset ignoscere, eum suppliciter inuocauit. Sic & Caleb & Iosue acceperunt absolutam, nullaque cum conditione promissionem Dei de ingressu terræ Chanaan: non quidem ob eam fidem quæ promissionem ipsam secuta est, sed ob eam qua crediderunt Deum potentē euertere Chananæos, & traditurum terrā posteris Israel. Declaremus insuper hanc rem ex alio exemplo. Abel est iustificatus fide, qua credidit Christum passurum pro humano genere, & qua inuocauit eum. Hác fidem, dum hostia ex primogenitis gregis sui & adipibus eorum sumpta protestaretur, consecutum est miraculum ignis absumentis sacrificium significans munus eius esse acceptum, Deoque placere. Num putandum est, quod fide illius miraculi atque testimonij iustificatus est? minimè gentium. Sic igitur nec fide verbi testificantis hominem esse iustum, consequitur quis iustitiá, sed iustitiæ duntaxat testimoniū. Sic nec Enoch fide translationis iustificatus est, etsi trāslatio signum sit ipsum placuisse Deo. Testis est ipse Apostolus quód ante erant iusti per fidem. Fide, inquit, plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo: per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch translatus est ne videret

Num. 14

Gen. 4.
Heb. 11.

Genes. 5.

Heb. 11.

 mortem,

mortem,& non inueniebatur: quia transtulit illum Deus. ante translationem enim,testimoniū habuit placuisse Deo Sine fide autem, impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se sit remunerator. Explicato autem loco Pauli de testimonio Spiritus, ad Rom. 8. simul explicatus est & ille Ioannis cap. 4. epistolæ 1. In hoc cognoscimus quod in eo manemus,& ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis.

Ostenditur, testimonium spiritus de consequenda vita æterna tale esse, quale præbet causa effectui qui potest impediri: ideoq; Apostolum, dum æternam hæreditatem promittit, adijcere conditionem. Cap. 20

NVnc videamus quomodo spiritus testatur quod assequemur hæreditatem cœlestem. Et quidē ex iam dictis satis hoc manifestum euadit. Testatur enim gustus Dei quem habemus in hac vita, nos habituros æternam vitam: sicut medium prænunciat finem, sicut meritū mercedē, sicut semētis, messem: sicut flores fructū: sicut esuries saturitatē, sicut cōceptus partū, sicut arra plená possessionē, sicut pugna victoriá, sicut certamen coroná: sicut infusio medicamentorum, sanitatem: sicut ambulatio & cursus, peruentionem: sicut adoptio filiorum hæreditatem. Sed hæc testificatio & prænunciatio, non est verbum Dei asserens quod quo tendimus perueniemus, eo quod ab arra quam iam à Deo accepimus, excidere possimus, & nō perseuerare; atque efficere, vt omnes iustitiæ no-

stræ pre-

ſtræ præteritæ à iuſto iudice obliuioni tradantur, iuxta dictum Ezechielis.

Quod quia nimis facile fit, vti ſementis facilè impeditur ne pertingat ad meſſem: & flores, ne proferant fructũ: & facile pugna deſeritur: & qui ſanari inceperat, durius poſtea vulneratur aliquando Apoſtolus, prudentiſsimus, cùm mentionem facit adoptionis filiorum atque capiendæ hæreditatis, veluti ſtudio quodã ſolet Chriſtianos contra hanc fatuam perniciosamq; Lutheranorum fidem munire: adiecta ſcilicet conditione perſeuerantiæ. Cuius nemo ſane citra Dei reuelationem certus eſt: quando & electũ Apoſtolum Iudam, & primum Iudæorum regem Saul: ſapientiſsimum quoque atque Idida, hoc eſt, Deo amabile Salomonem, & Nicolaum Diaconum, imo electum populum Iudaicum excidiſſe videmus, & audimus Deum dicentem Moyſi, Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Saulem, ait Cyrillus, vnxit in regẽ. fuit enim primò non improbus. cumque poſteà ſolitam ſibi probitatem non ſeruaret, non iniuria vexabatur. Sic Iudam quoque ipſum elegit, & cum duodecim collocauit. aptus enim in initio erat, qui ad ſequendum Chriſtum eligeretur. verùm, quoniam poſtea ſenſim turpi quæſtu victus, dia-

Ezec.3.

Exod.33.

Rom.9

Exod.9

Rom.9

Libr. 9. in Ioan.c.10

ctus diabolo adhæsit, & ad prodendum vsque delapsus est, merito repulsus fuit: Auaritiæ seruus à vita spirituali decisus, gratia spiritus amissa foras eiectus, igni, vt inutile sarmentum, traditus est. Hæc ille. Similiter Theophilactus, ad illud 26. capitis Matth. Ecce Iudas vnus ex duodecim venit. Vnus (inquit) ex duodecim dicit Euangelista admirans quod ex primis & electis esset diaboloque se tradidisset. Vnde homo & tu time, licet ex familiarissimis sis, ne vnquam desidiæ vaces & excidas.

Idē. lib. 10 cap. 17.

Sed videamus quas conditiones adiiciat Apostolus, & quomodo ostendat non esse verbum Dei, nos peruenturos ad vitam. Ipse, inquit, spiritus testimoniū reddit Spiritui nostro quòd sumus filij Dei. Si aūt filij: & hęredes. hęredes quidē Dei, cohæredes autē Christi, si tamen cōpatimur, vt & conglorificemur. Ad Colossenses scribens: Recōciliauit vos, ait, in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso: si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe euangelij quod audistis, quod prędicatum est in vniuersa creatura quæ sub cœlo est. Et ad Hebręos: Domus, ait, Christi sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque in finem firmam retineamus. & infra: Participes Christi effecti sumus: si tam initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus: dum dicitur, Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra. Et cap. 10. eiusdem epistolæ. Iustus, inquit, ex fide viuit, quod si subtraxerit se,

Rom. 8

Colos. 1

Cap. 13.

Psal. 94.
Abac. 2

non

non placebit animæ meæ. Quid hoc eſt aliud, quam: Iuſtus per fidem accipiet vitam, modò perſeueret? Et quid hoc Chriſti verbo clarius: Refrigeſcet charitas multorum. qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit? Et apud Ioan. Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Mira hæreſeos præſumptio. Quod Apoſtol. de ſe & ſociis ſuis non niſi cõditione adiecta auſus eſt dicere, hi intrepide, ſine conditione de ſe certo aſſeuerant.

Math. 24.

Ioan. 8

In epiſtola ad Titum Apoſtolus, cum mentioné faceret iuſtificationis & hæreditatis æternæ, loco conditionis adiecit, Secundum ſpem: Iuſtificati, inquiens, gratia ipſius, hæredes ſimus ſecũdum ſpem, vitæ æternæ. Et cur hoc quæſo? vt admoneret ſpem quidem eſſe iuſtificatis æternæ hæreditatis, non autem certitudinem. Cauſa cur dixerit, Secundum ſpem, ſequitur, vbi ait: Fidelis ſermo eſt, & de his volo te confirmare: vt curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo. Adiecit, inquam: Secundum ſpem: quia niſi bona operentur fideles permaneantque iuſti non aſſequentur quod ſperant. Quare ſecundum ſpem, non ſecundum fidem? quia aliud fides, aliud ſpes. Fide (inquit Auguſtinus) creditur rem ita ſe habere, ad quam conuertendus eſt animæ aſpectus, vt viſa faciat beatum. Spes eſt, qua, cùm bene aſpexerit, ſe viſurum eſſe præſumit, Bernardus quoque (cuius alia dicta apud imperitos, hæretici hodierni contra propriam conſcientiam deprauant) fidei &

Tit. 3.

Ibidem.

Differẽtia fidei & ſpei

Li. 1. ſoliloquior. c. 6.

ſpei

ſpei differentiam ſcite expreſsit: Germana (inquiens) fidei ſpeique cognitio eſt, vt quod illa futurum credit, hæc ſibi incipiat ſperare futurum. Meritò proinde Apoſtolus, fidem ſperandarum rerum ſubſtantiam eſſe definit. quod videlicet & non credita nemo ſperare, non plus quam ſupra inane pingere poſsit. Dicit ergo fides: Parata ſunt magna, & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus ſuis. Dicit ſpes, Mihi illa ſeruantur. Nã tertia quidem charitas: Curro, mihi ait, ad illa. Hæc Bernardus. Fide igitur, nunquam niſi verum creditur, nempe Dei verbũ. Res ſperata ſæpè non euenit: non quaſi ſpes confundat, quæ certo & infallibili fundamento nititur, nempe Dei verbo, quamobrem & certa eſt: ſed quia ſperans, verbo diuino aut non nititur, aut non rectè nititur. Quemadmodum qui in inexpugnabili turri conſtitutus ſperat ſe per eam defendẽdum, non vana ſpe quidem ducitur: is nihilominus ſi turrim egrediatur deſeratq;, fortè ab hoſtibꝰ capietur, quod cũ accidit, vana ſpe nõ dicitur illuſus, ſed ſpem boná dereliquiſſe. Teſtimoniũ ergo quod ſpiritus de æterna beatitudine iuſtis præbet, non eſt Dei verbum fide quæ ſemper circa verum verſatur ſuſcipiendum, ſed ſignum quoddam ita beatitudinem prænuncians, vt interim multis modís ea queat impediri. Ideoq; ſpẽ fouet: vtpote quæ vt recta ſit non ſemper aſſequi debeat rem ſperatam. Tanto vero hæc ſpes fit certior, quanto plura, eaque maiora opera bona fuerint in homine. Qui, inquit Auguſtinus, vult habere bonam ſpem, habeat bonam conſcientiam

Ser. 50. in pſal. 9.

Heb. 11.

Spes quomodo certa, quũ nõ ſemper eueniat res ſperata.

Spes creſcit e opera bona.

entiam. Vt autem habeat bonam conſcientiam, credat & operetur. Vnde nos adhortatur Petrus, vt per bona opera certam electionem, & vocationem noſtram faciamus. Nunquid putãdum eſt Petrum ſentire, fidei certitudinem à noſtris operibus pẽdere? abſit. Infidelitas tua fidẽ Dei, & verbum eius non euacuat. Sed ſentit opera bona ſigna quædam eſſe electionis & prædeſtinatiõis noſtræ: tãto quidem certiora, quáto plura fuerint & diuturniora. Hæc autem certitudo non eſt infallibilis, qualis eſt verbi Dei. ſed qualis ea eſt quæ experientia colligitur. Quali Apoſtolus Timótheo dicit: Certus ſum quod in te non eſt fides ficta: Sicut, Credere, in ſcripturis non ſemper deſignat fidem illam, qua alicui velut certiſsimo aſſentimur, ſed etiam non raro eam, quam homines boni ſibi mutuo exhibent quæ magis æſtimatio quædam eſt, quam perfecta certitudine, & potius ſpes eſt vel ſpe cõiuncta, quam fides: Vt cum ait Dauid, Credo videre bona domini in terra viuentium: Quomodo dicit etiam D. Auguſtinus in Enchirid. Cũ bona nobis futura credũtur, nihil aliud quã ſperantur. Vbi ſane Auguſtinus, nõ ſentit, idem eſſe fidem & ſpem, in ſcripturis: quoniam eodẽ loco ea omnino diſtinguit: vtpote ſciens ab Apoſtolo dictum eſſe, tria eſſe fidem, ſpem, & charitatem, ſed, Credere, accepit, ſicut vulgus hominum loqui conſueuit: pro, Præſumere, ſiue æſtimare: veluti & ſupra ſpem definiuit per præſumptionem. Et in Pſal. 92. in illud: Teſtimonia tua credita facta ſunt nimis, interpretatur

vocem

In præfatio. pſal. 31

2. Pet. 1.

Rom. 3

2. Tim. 1

Credere, in ſcripturis, pro Sperare frequens eſt.

Pſal. 26.

Cap. 8.

1. Cor 13

Auguſt.

vocem, Credita, vt dicantur teſtimonia credita, quia experientia ex parte probata, Teſtimonia, inquit, tua credita facta ſunt nimis. Teſtimonia tua, quia dixerat illud ante, Hęc dico vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem preſſuram. Ergo quia mundus vobis preſſuram facturus eſt dico vobis. Cœperunt pati, & confirmauerunt in ſe quod illis prædixerat dominus, & magis fortes facti ſunt. Cum enim videbant impleri in ſe paſsiones, ſperabant compleri in ſe & coronas. Et tractatu nono in epiſtolam Ioannis, dicit in cordibus iuſtorum eſſe ſecuritatem de die iudicij, hoc eſt, fiduciam.

Idem.

Sicut etiam diuus Bernardus, in ſermone primo de annunciatione (ex quo conantur hæretici ſimpliciores quoſque illaqueare) vocem, credere, accepit, dũ dixit: Neceſſe primũ omniũ credere quod remiſsionẽ habere non poſsis, niſi per indulgentiam Dei. Deinde, quod nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe, poſtremò, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa. Et infra: Quæ nunc, inquit, diximus non omnino ſufficiunt, ſed magis initium quoddam & fundamentum fidei ſunt habenda. Ideoque ſi credas peccata tua non poſſe deleri niſi ab eo cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit bene facis. Sed adde adhuc vt hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium quod perhibet in corde noſtro Spiritus ſanctus, dicens: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus gratis iuſtificari

Bernard'.

ſtificari hominem per fidem. Ita de meritis quoque ſi credis,non poſſe haberi niſi per ipſum, nõ ſufficit donec tibi perhibeat teſtimonium ſpiritus veritatis quia habes ea per illum. Sic & de vita æterna habeas neceſſe eſt teſtimonium ſpiritus, quod ad eam diuino ſis munere peruenturus. Ipſe enim peccata condonat, ipſe donat merita, & prǫmia nihilominus ipſe redonat. Porrò teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis. Nã de remiſsione quidem peccatorum validiſsimum teneo argumentum: dominicam paſsionem. Vox ſiquidem ſanguinis eius inualuit multo plus quam vox ſanguinis Abel, clamans in cordibus electorum remiſsionem omnium peccatorum. Traditus eſt enim propter peccata noſtra: nec dubium, quin potentior & efficatior ſit mors illius in bonum, quã peccata noſtra in malum. De bonis autem operibus àrgumentum nihilominus efficax mihi eſt reſurrectio eius, quia reſurrexit propter iuſtificationem noſtrã. Porrò de ſpe præmiorum teſtimonium eius eſt aſcenſio, quia aſcendit propter glorificationem noſtram. Sentit hic Bernardus non ſufficere fidem, qua creditur Deus paratus remittere peccata ſe inuocãtibus, & dare opera bõna, ac vitam æternam: ſed ita quoque agendum ſicque exercendam hanc fidem, vt experientia comperias in teipſo tranquillam conſcientiam ex Chriſti paſsione, bona opera ex Chriſti reſurrectone: Bona ſpe æſtimans te illa iá obtinuiſſe, & ex Chriſti aſcenſione ad vitam æternã te peruẽturum. Agit enim Bernadus de fide, ſicut Paulus, quæ non

ot ioſa

otiosa est. sed sibi annexam habet spem & inuocationem, operaque charitatis. Qualem certe quicunque habent, firmiter credunt Dei verbo, & testatur eis Spiritus sanctus, non verbo quidem expresso, sed per effectus quosdam et signa, quòd filij Dei sint, & ad vitam ęternam peruenturi. Nullo modo verò Bernardus spé & fidem confudit, aut, ad fidem pertinere putauit, credere quòd mihi dabitur vita æterna: vt satis testátur ex eo supra citata. Ad similem modum Basilius, interrogatione 12. in regulis breuioribus, intelligitur loqui. Quomodo inquiens, certo persuasus aliquis esse potest, Deum sibi peccata remisisse? nempe, si afflictionem animi in se esse animaduerterit similem illius, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Deus enim pro remissione peccatorum demisso vnigenito filio suo, quantum in ipso est, ea ante iam omnibus condonauit. Quoniam autem misericordiam & iudicium sanctus vir canit, & testatur Deum misericordem esse & iustum, necesse est, vt quæ & à Prophetis & ab Apostolis, suis locis de pœnitentia dicta sunt, ea nobis præstentur, vt appareant iudicia iustitię Dei, & misericordia eius consummetur ad condonationem peccatorum. Ex hoc etiam patet, quomodo responsione decima ad decimam interrogationem, dicat, peccatorem debere credere expurgationē peccatorum suorum factam esse per sanguinem Christi. Facta nempe est in cruce omnium recōciliatio: quia ibi paratū est poculum potens omnes sanare. quod tamen si fide, pœnitentia, atq; sacramen-

Explicantur similia dicta Basilij.

Psal. 118.

Psal. 100

sacramentis non bibatur, non medetur: sicut ait Prosper responsione 1. ad obiectiones Vincentianas. Simili modo intellige & illud Cypriani (epist.6.lib.2) Christus dat credentibus tantum quantum se credit capere qui sumit. vt nempe sit sensus pro magnitudine spei est magnitudo donorum Dei. sicut dicit epistol.2.lib.2. Manet, inquit, iugiter spiritus, exuberat affluenter, nostrum tantum sitiat pectus & pateat. Quãtum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus. Quanquam si præcedentia (in eadem epist.) spectentur, magis videatur hic esse sensus: Christus tantum dat credentibus præmium, quantum se capere (si scilicet perseueret & vincat) credit qui sumit. Sic enim habet Cyprianus. Preciosa mors hæc est, quę emit immortalitatem precio sanguinis sui: quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quam lætus in illis Christus fuit? quàm lubens in talib' seruis suis & pugnauit, et vicit protector fidei dans credentibus, quantum se credit capere qui sumit? Similis locus est apud eundem ad Quirinum: Fides inquit, tantum prodest, & tantum nos possumus, quantum nos credimus. Cuius sensus est. tanta est vtilitas, & tantus fructus fidei quanta est fides: & tanta est nostra possibilitas apud Deum, quanta fides ita vt si fides magna fuerit: multum posśimus: si parua, parũ. Cæterum vt non dubites Cyprianum non sentire, sola fide obtineri omnia, & ea fide qua quis statuit se iustificatũ, iustificari: aduerte quas scripturas citet, Citat quidem illa: Credidit Abraham

Explicantur item quidã Cypri. loci.

Ca 42. li.3

Rom.4

ham deo, & reputatum est ei ad iustitiá: & illam, Iustus ex fide viuit, sed etiam illam: Si non crediderītis, non intelligetis, qua certè fides ista specialis non stabilitur. non enim qui statuit se intelligere mysteria, statim intelligit. Citat & illá: Omnia possibilia sunt credenti. quam Christus dixit ad patrem pueri lunatici, qui dixerat ei: Si quid potes, adiuua nos misertus nostri. Cui Christus respondit: si potes credere (vtiq; quod possum te iuuare: hoc enim veluti dubitans alter dixerat: Si quid potes adiuua nos etc.) Omnia possibilia sunt credenti. Citat & historiam Ananiæ, Azariæ, & Misaelis: qui credentes Deo liberati sũt de flãma ignis. Sed nũquid stabuebãt firmiter, se de flamma liberandos? Audi quid dicant: Ecce Deus noster quẽ colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis. Quod si noluerit etc. Frustra sane allegatur pro speciali fide Lutherana Cyprianus, cum clarissimè ipse eam refutet toto 5. ser. de lapsis, dicens (veluti de nostri temporis hæreticis loqueretur:) Pacem sibi vltro, nemine dante sumpserunt, falsa pollicitatione seducti, ac apostatis & perfidis iuncti, errorem pro veritate sumpserũt, communicationem non cõmunicantium ratam ducunt: hominibus contra Deum credũt. Intelligis quid dicat, christiane lector: eos videlicet qui putant sibi peccata dimitti cùm primum fideles fuerint siue cum crediderint ea sibi remissa pacem cũ Deo sibi vltro sumere, nemine dante: & hoc propterea quod falsa pollicitatione seducti sint, & hominibus cõtra Deum credant. Post

Abac 2. Esa 7. Mar. 9. Daniel. 3. Cyprian'.

pauca

pauca quoque quid ſubdat aduerte. Vos fratres quorum timor in Deum pronus eſt, pœnitentes ac dolentes, peccata veſtra perſpicite, nec deſperantes miſericordiam domini, nec tamé veniam vendicantes. Deus quantum pietate patris indulgens ſemper & bonus eſt, tantum iudicis maieſtatę metuendus eſt. Quam magna delinquimus, tam granditer defleamus. alto vulneri diligens & longa medicina non deſit. pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne cito dominũ poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti etc.? Et infra: Si precem toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentię lamentationibus & lachrymis ingemiſcat: ſi ad veniam delecti ſui, Dominum iuſtis & continuis operibus inflectat, miſereri taliũ poteſt. Ecce, fidelibus loqués Cypri. etſi lapſis, docet non ſtatim veniam vendicare, non ilico dominum placari, ſed iudicis maieſtate eſſe metuendum, & cótinuis operibus iuſtis ad veniam flectendum. docet pro granditate delicti, granditer flendum: vtpote cui in mentem nõ veniebat fanatica iſtorum fides, quę ſimul ac infuerit, & ſe homo reconciliatum Deo ſtatuerit, ſtatim veniam affert. Porro ſicut Cypri. ad Quirinum dicit fructũ fidei haberi pro magnitudine fidei: ita Auguſt. tract. 32 ſuper Ioan. Certi inquit, ſumus omnem hominem, qui baptizatur accipere Spiritum ſanctum: ſed quantum vas fidei attulerit ad fontem, tantum implet. Quod ipſum & de humilitate affirmat in libro de ſancta virginitate Chriſtus (inquiens) humilitatem maximè commendauit, & in ea meritum magnitu-

Idem.

Idem.

Auguſt.

Cap.31

Matth. 18. dinis posuit, dicens: Qui humiliauerit se sicut paruus iste, maior est in regno cœlorum. Tract. autem 4 in epistolam Ioannis. pro magnitudine sancti desiderij, dicit magnitudinem esse donorum vt videlicet intelligamus, quando dixit pro magnitudine fidei esse magnitudiné donorum S. spiritus, ipsum non hoc veluti fidei proprium dixisse, sed quod fidei cum aliis virtutibus, humilitate, & sancto desiderio sit commune.

Ad ea venitur, quæ ex veteribus pro suâ fide affert Brentius. *Cap. 21.*

OPeræprecium autem est audire quæ ex veteribus pro sua fide citat Brentius.

Gregorium Nazianzenum citat ex oratione consolatoria in grandinis calamitate, sic dicentem: [Præueniamus iram eius in cófessione. Velimus ipsum audire, quéadmodum prius iratum, ita nunc placatum. Quis scit, inquit, núquid conuertatur, & pœniteat, ac relinquat benedictionem? atqui manifeste hoc scio. Ego diuinæ clementiæ sum fideiussor. Nam iram, quæ præter naturam eius est, remittet, & ad misericordiam, quæ secundum naturam eius est, conuertetur. Ad illam enim a nobis conpellitur, ad hanc vero inclinatur, Et si corripit compellentes cur non exaudiret inuocantes, ac natura sua vteretur in remittendo? Tantum nos misereamur nostri, ac iustis patris visceribus viam adaperiamus. Seminemus in lachrymis, quo in exultatione metamus. Fiamus Niniuitæ & non Sodomitæ: curemus prauitatem, ne prauitate consumamur.]

Ioel. 2.

ſumamur.] Hæc Nazianzenus. Clariſsimus eſt ſenſus Nazianzeni: nempe Deum natura propria clementem velle miſereri noſtri,& ignoſcere peccata noſtra, ſi nos eius viſceribus viam aperiamus in nobis: non quidem ſola fide,ſtatuendo eum iam factum propitium; ſed derelinquendo noſtram prauam viam, flendo & ieiunando atque orando:more Niniuitarum. Hoc certum eſt & indubitatum Dei verbum, Deum miſereri omnium vere pœnitentium, ſe inuocãtuim,& præſcriptis à ſe remediis vtentium.

Quid velit Nazian.

Certũ Dei verbum.

Citat deinde Hylarium,dicentem(in cap.6. Matth.) fidei noſtræ inuiolabilem eſſe conſtantiam, & magni periculi eſſe, ambigere. Quaſi ſcilicet aliquis catholicus id neget. Non an fides certa ſit quæritur,ſed quid certo credere oporteat, hoc eſt quod inter nos nunc diſputatur. Vos clamatis quemlibet debere credere,ſibi eſſe remiſſa peccata, & vitam æternam ſibi donandam,quo iuſtus ſit coram Deo, atque ex ipſa fide ſtatim iuſtificari. Catholici contra neq; quẽlibet hoc credere debere, neque ex ea fide eſſe petendam iuſtitiam docemus.

Reſpondetur.

Adiicit Brentius verba Auguſtini ex 28. ſer. de verb. domini. [O homo faciem tuam non audebas ad cœlum tollere: oculos tuos in terrá dirigebas, & ſubito accepiſti gratiam Chriſti. Omnia tibi peccata demiſſa ſunt. Ex malo ſeruo factus es bonus filius. Ideo præſume, non de operatione tua,ſed de Chriſti gratia.Gratia enim ſaluati eſtis,ait Apoſtolus. Non ergo hic arrogantia eſt, ſed fides. Prædicare quod acceperis,

non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad patrem qui te per lauacrum genuit ad patrem qui per filium te redemit, & dic: Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata.] Hæc ille. At hic Aug. non dicit quemlibet vt iustificetur debere statuere, sibi peccata esse remissa. Imo ea ante remissa dicit: ac inde, ait: Præsume, non operatione tua, sed de gratia Christi. Quid autem est, quod nos præsumere vult Deum esse patrem nostrum. Præsumptionem autem vocat non certam fidem qua credat quisque se Deo gratum esse, & veniam peccatorum obtinuisse, sed fiduciam bonam atque spem. Nam quod ait, Non hic arrogantia est, sed fides: non designat, fide recipi à quolibet quod sit Deo reconciliatus, sed quòd fidei exercitium atque operatio sit, bona spe gratias agere Deo de bonis acceptis. Fidei, inquam, non qua credis certo & firmiter Deo te reconciliatum, sed qua credis Deum hominibus vere pœnitentibus, in baptismo peccata donare: in quorum numero te esse confidis, pieque præsumis. Vnde subdit: Prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Quomodo etiam fides est prædicare virtutes priorum christianorum, etiamsi de quolibet non credamus firmiter quod Deo ex corde seruierit. Quomodo etiam dixit Augustinus: Non ea dimitti precamur (dum dicimus, Dimitte nobis debita nostra) quæ in baptismo dimissa sunt, nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus. Qui enim putat, pœnitenti atque credenti, in baptismo non dimitti peccata commissa,

Homil. 50.

missa, sed pro eisdem postea adhuc Deum, vt ignoscat, orandum, certè infidelis est: non autem is, qui trepidat ne forte absque vera pœnitentia baptismum accesserit, & ideo baptismus in eo operatus non sit. Profectò in eadem homil. 50. docet Augustinus plurima, quę insanam Lutheranam fidem euertant: Nempe, pœnitentia & satisfactione Deum super peccatis placandum, nec crimina post baptismum commissa remitti aliter quam per eorum solutionem, qui claues in ecclesia administrant.

Allegat postea Brentius Augustinum ex tractatu 22. in Ioannem, vbi ait Augustinus. Paulus dicit: Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi, & tu tibi audes promittere quod in iudicium non venies? Absit inquis, vt ego mihi hoc promittere audeam, sed credo promittenti. Saluator loquitur, veritas pollicetur, ipse dixit mihi: Qui audit verba mea, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & transitum fecit de morte ad vitam, & in iudicium non veniet. Ergo audiui verba domini mei. Credidi. Iam infidelis cũ essem, factus sum fidelis, sicut ipse monuit: transij à morte ad vitam, ad iudicium non venio, non præsumptione mea, sed ipsius promißione.] Hæc allegat Brentius. Sed perspice, candide lector, quid verba illa immediate præcedat: Quid est hoc, inquit Aug. In iudicium nõ venies? Et quisquam melior erit Paulo Aposto. qui ait: Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi, vt illic recipiat vnusquisque quæ per corpus gesßit, siue bonum, siue malum?

Tum sequuntur verba à Brentio allata: [Paulus dicit: Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal, etc. Aduerte etiam, lector, quid sequatur: Paulus autem contra Christum loquitur, discipulus contra magistrum, seruus contra dominũ, homo contra Deum: vt cum dominus dicat, Quia qui audit & credit, transit à morte in vitam & in iudicium non venit, dicat Apostolus: Oportet nos exhiberi ante tribunal Christi? Aut si ad iuditium non veniat, quid ad tribunal exhibetur? nescio quomodo intelligam.] Nemo hic non videat fraudem Brentij, dum media illa disputationis verba affert velut assertiuè diceretur, quum Augustinus inducat ibi eum qui conatur ostendere Paulum & Christum contraria sibi mutuo dicere. Nam ex persona sua, non docet credentem absolutè statuere quod non veniet in iudicium, sed sic ait: Iam cum te credentem illuminauerit Christum transitum facis à morte ad vitam, mane in eo, in quo transisti: & non venies ad iudicium. Ecce conditionem requirit vt fidelis non veniat in iudicium, si manserit scilicet in fide. Nam eodem tractatu supra dixit: Qui paulo ante non credebat, modo credit: quasi de regione infidelitatis ad regionem fidei transitum fecit, motu cordis non motu corporis motu in melius, quia iterum qui deserunt fidẽ mouentur in deterius. Et vt intelligas quòd Augustinus non sentiat, per solam fidem transiri à morte ad vitam, expende quod eodem loco ait: Hoc est transire de morte ad vitam, inquit, transire ab infidelitate ad fidem, ab iniustitia ad iustitiam,

Eodem tractatu infra.

iuſtitiam, à ſuperbia ad humilitatem, ab odio ad charitatem. Et quod infra: Qui credunt, & ſecundum verám fidem agunt, viuunt, & mortui non ſunt. Rurſum ibidem dicit, Qui credit & confitetur, de ſepulchro ſurrexit: at tunc à miniſtris ſoluendus eſt, ſicut ait Chriſtus: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo. Quæ cũ fide peculiari non conſiſtunt.

Ioan 20.

Pergit Brentius allegare eundem, ex libro de prædeſtinatione ſanctorum cap. 11. [Sane, inquit, cum Apoſtolus dicat: Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſsio, miror homines infirmitati ſuæ ſe malle commitere, quam firmitati promiſsionis Dei. Etſi autem Auguſtinus mox addit, tam hominis quam Dei voluntatem incertam eſſe nobis. Cum vtraque, inquit, incerta ſit. tamen ſtatim reprehendit eos qui infirmiori potius, quam firmiori fidem ſuam ſpem, charitatemq́ue committunt. Quod ſi vero Auguſtinus omnino ſentit, incertam eſſe mihi de meipſo voluntatem Dei, videtur ſecum ipſe pugnare, & referendum eſt hoc inter ea Auguſtini, quę potius diſsimulanda ſunt quam probanda.] Certè Auguſtinus vtramque, & Dei de nobis, & noſtram de nobis voluntatem incertam eſſe dicit. Promiſsio autem quam firmam dicit, eſt ea quæ promiſit Deus omnes gentes Abrahæ: ſiue quod omnes gentes benedicendæ ſunt in ſemine Abrahæ. Hæc promiſsio certa eſt, cui tanquam firmiſsime ſe iuſtificandum homo committit expectans potius ex ea benedictionem & iuſtificationem, quam ex ſuo libero arbi-

Geneſ. 12.

ro arbitrio, fragili & infirmo. Sed Brentius & Augustinum nō intelligit, & dictum eius reiicit: vt cognoscas similem eum esse procuratoribus iniquarum causarum, qui nihil pensi habentes quam defendant causam, iustámne an iniquam, vndiq; corradunt, quod pro eis facere videatur, etiamsi sciant, quod re penitius introspecta inueniantur non recte probare, quæ conantur statuere.

Sic & Bernardum pro se citat. de quo tandem ait: [Si Bernardus secum pugnat, viderit Asotus (quo nomine catholicum virū Petrum à Soto deridet) quomodo ea dicta inter se conciliet. Nos qui solius sacræ scripturę sententiam sequimúr, sumus extra teli iactum.] Viden lector quāti faciat doctores, quorū patrocinio vult se tueri, et quam laboret eos intelligere vt rectè citet? Nos autem, quia sequimur scripturam, promittentem, doctores & pastores non defuturos, vsque ad consummationē sanctorum, donec omnes occurramus in vnitatem fidei: scimus, non per solam sacram scripturam nobis verbum Dei ministrari, sed & per doctores post scripturam conditam exortos. Ideoq; sanctorum dicta studemus intelligere, & syncerè ad fidelium confirmationem ea proferimus: vna simul ostendētes, eos scripturas sacras esse secutos & hæreticos hodiernos scripturarū esse peruersores. Citat itaque verba Ber. ex ser. 3. de fragmentis septem misericordiarum. Nos paulo altius ea repetamus. Septimus, inquit, panis est spes obtinendi cuius nihilominus teneo fragmenta tria, & eorum

Ephes. 4

Bernadus.

eorum ſapor dulcis admodũ gutturi meo. Tria, inquam, ſunt quæ ſic roborant & confirmant cor meum, vt nulla me penuria meritorum nulla conſideratio propriæ vilitatis nulla, ęſtimatio cœleſtis beatitudinis, ab altitudine ſpei deiicere poſsit in ea firmiter radicatum. Tum paulo inferius ſequuntur veba ab eo citata: [Tria conſidero, in quibus tota mea ſpes conſiſtit, charitatem adoptionis, veritatem promiſsionis, poteſtatem redditionis. murmuret iam quantum voluerit inſipiens mea cogitatio, dicẽs: Quis enim es tu? aut quanta eſt illa gloria? quibuſve meritis hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondeo: Scio cui credidi, & certus ſum quòd in charitate nimia adoptauit me, quia verax in promiſsione, quia potens in exhibitione. licet enim ei facere quod voluerit. hic eſt funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, etc.] Hucuſque Bernadus. Cernis Chriſtiane lector, Bernardum tantum dicecere ex Dei charitate erga nos, veracitate promiſsionis eius & potentia, oriri ſpem tantam, vt ſi ea tria præ oculis ſemper habeamus, ſpes deiici nequeat. Dum vero ait: Certus ſum, quia in charitate nimia adoptauit me: intelligendus eſt, vt Schola loquitur de adoptione ſufficienti, nõ de efficaci quaſi dicat, ſufficiens eſt paſsio Chriſti, & potens vt me tranferat in numerum filiorum. Ad quem ſenſum ſcriptura dicit, Chriſtum ſe dediſſe redemptionem pro omnibus, & eũ eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi. Sic Bernardus dicit quod ipſe Deus per Chriſtũ ſe adoptet: non quaſi Chriſtus omnium peccata aboleat

1. Tim. 1
1. Ioan. 2

aboleat vel a seruitute diaboli omnes eripiat, sed quia mors eius potens est omnes saluare, si per Dei gratiam omnes eius essent participes. Nec mireris si Bernardus sibi datum dicat quod omnibus commune est. Hic est enim affectus serui fidelis (ait Chrysostomus) vt beneficia domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli pręstita reputet, & quasi sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem domini & Saluatoris nostri, quæ pro vniuerso expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit quasi enim de se solo loquens, ita scribit: Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui tradidit seipsum pro me.

Li 2. de cō punctiōe cordis.

Galat. 2

Bernardum postremô ex ser. 5. de dedicatione Ecclesiæ producit, dicentem: [Quis poterit saluus esse, dicunt discipuli Saluatoris? & ille: Apud homines hoc imposibile, sed non apud Deum. hæc tota fiducia nostra hæc vnica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de posibilitate iam certi de volũtate quid agimus? Quis scit si est dignus amore an odio? Quis nouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Hic iam plane fidem nobis subuenire necesse est. Hic oportet succurrere veritatem, vt quod de nobis lâtet in corde patris, nobis per ipsius spiritum reueletur, & spiritus eius testificās persuadeat spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Persuadeat autem vocando & iustificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futu-

Matth. 19.

ad futuram magnificationē.] Ecce lector, quomodo spiritus sanctus secundum Bernardum persuadeat nobis quod filij Dei sumus: vocando scilicet & iustificando per fidem. Vnde discimus duo. Primum, quod testimonium spiritus sancti, quo testatur nos filios Dei esse, sequitur iustificationem, non præcedit: & proinde, non pertinere ad iustificantem fidem, sed eam sequi. Secundum quod quia iustitia nostra ex fide percepta sæpe nos latet, nec verbum est euangelicum: ideo testimonium spiritus quod ex ea sequitur, non verbum est euangelij, sed argumentum ab effectu & experientia sumptum. Quod ergo ait Bernardus fidem nobis succurrere, vt nobis pateat, quid de nobis lateat in corde patris, verissimum est. Fides enim parit iusta opera: ex quibus colligimus probabili coniectura, nos & Dei filios esse, & ad vitam peruenturos æternam vt supra ostendimus.

Citat & Artopæus Ber. verba ex ser. 61. super cātic. Et reuera vbi tuta firmaq; infirmis requies nisi in vulneribus saluatoris? tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur cōscientia, sed non perturbatur, quoniam vulnerū domini recordabor. nempe vulneratus est propter infirmitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamquam efficax medicamentum, nulla iam possum morbi malig-

nitate

nitate terreri. Et ideo liquet erraſſe eum qui ait: Maior eſt iniquitas mea, quã vt veniam merear, niſi quod non erat de membris Chriſti nec pertinebat ad eum de Chriſti merito, vt ſuum præſumeret, ſuum diceret quod illius eſſet, tãquam rem capitis membrum. Ego fideliter dico: quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus domini qnoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus eius & pedes, latuſq; lãcea perforauerunt, & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſsimo, id eſt, guſtare & videre quoniam ſuauis eſt dominus. Hæc verba Bernardi nos gratiſsimè amplectimur: quandoquidem nihil in eis aliud dicitur, quam, eũ qui mortem domini, potens & efficax medicamentum, præ oculis habet, non cadere in deſperationem ex inſidiis Satanæ, nec inſtar Cain à ſua iniquitate, quantumuis grandi terreri aut perturbari vt deſperet, ſed fidenter quod ſibi deeſſe videt, vſurpare ex vulneribus ſaluatoris: non quidem more Lutherano, ſtatuendo ſe illud iam habere, ſed ſperando ſe acquiſiturum. Vnde nota Ber. non dicere, quemlibet iam habere mel ex Chriſti vulneribus oleumq;, ſed, per has rimas, id eſt, Chriſti vulnera, licet mihi ſugere mel de petra etc, Licet inquit, mihi ſugere mel & oleum. non ait: certus eſt quilibet credentium quod iam ſuxit. Sic etiam dicit potens & efficax medicamentum eſſe dominicam mortem: non autem, quod ſtatim omnibus credentibus medicetur, ſiue omnes ſtatim ſanet. Cuiuſlibet ergo mẽbri Chriſti eſt quod

Geneſ. 4

eſt quod Chriſtus habet: quia ex vulneribus eius hoc ſugere poteſt. Hactenus ad Bern. verba, ab his citata contra Bernar. ſenſum, vt Brentius ipſe fatetur, & ex verbis Bernardi ſupra à nobis citatis eſt manifeſtum.

Soluuntur argumenta Henrici Artopæi & demõſtrantur catholici non tollere gratiarum actionem: deinde, quo ſenſu doceant dubitare. *Cap. 22.*

SED argutatur Artopæus: [Certè mens fluctuans vt conſtãter remiſſa ſibi peccata non fatebitur, ita ad ardentem gratiarum actionem male erit cõpoſita.] Quaſi Apoſtolus Paulus omnibus ferè epiſtolis ſuis non dicat, ſe Deo gratias agere: idquè etiam nonnunquam cum profuſione lachrymarum pro fide & pietate diſcipulorum ſuorum aliorumque fidelium. Puto tamen Apoſtolum non ſolum benè compoſitum fuiſſe ad ardentem gratiarum actionem, ſed & ardenter gratias egiſſe. Nondum autem eò inſaniæ venit hæreticus, vt audeat dicere, quemlibet fidelem debere certa fide ſtatuere, quod alius quilibet qui fidem profitetur, verè Deo credit, atq; ex animo ei ſeruit. Agit rex gratias Deo feruenter, cui nunciatur à fide digno donatam ei victoriam: & tamen, nõ abſque formidine hoc credit. Mandat ſcriptura vt honoret filius patrem. Pius filius hoc ſedulo præſtat: non opinor tamen eũ firma fide veluti Dei verbum ſtatuere, quod quem pro patre honorat, ſit pater ſuus. Ad gratiarum igitur actionem & honorem exhibendum ſufficit ea perſuaſio,

qua

qua æstimamus nos Deo reconciliatos, vel hos esse parentes nostros, etiam si id non statuamus tam firmiter atque quod Iesus est filius Dei.

Cæterum aduerte, Christianæ lector, quam odiose & Artopæus & alij hæretici catholicam sententiam traducant, dum aiunt catholicos docere homines vt dubitent, fluctuent, hęsitent an perceperint remissionem peccatorum, necne: an habituri sint vitam æternam, necne: cum Catholici doceant vt fidant quidem se vitam & veniam accepisse, vel accepturos esse non tamen hoc tanquam Dei verbum credant, sed timeant ne forte à pietate & vita excidant. Voces autē, Dubitatio, & Fluctuatio, etc. si proprie accipiantur, non timorem tantum designant, sed etiam animum hinc inde ita vagantem, vt nusquam quiescat. vnde dubius in dogmate, neutri parti assentit. Vacillans in agendis, inter duo ita fluctuat, vt neutrum aggrediatur, Quia vero veniam & vitam assequimur per hoc quod Christō medico nos curandos præbemus, non solum per fidem, verumetiam, idque præcipuę, per bonam voluntatem: ideo dubitatio de assecutione veniæ & vitę, est fluctuatio inter spem & metum & ad affectum pertinet, non intellectum. Absit autem vt sic dubitet catholicus de assecutione vitæ æternæ vel veniæ, vt ea quę ad horum assecutionem agenda sunt, aggredi cesset. Hæc enim dubitatio spei est contraria, & in desperationem degenerat, sicut & is timor nō obtinendæ veniæ vel vitę, qui tantus est vt torporem ad orandum pro venia, & viriliter certandum pro

dum pro vita inducat. At timor, qui ex propriæ fragilitatis atque malitiæ & diuinæ seueritatis consideratione oritur, & tamen spei, veniæ, & vitę cōiungitur: humilitatem & sollicitudinem bene agendi parit ac conseruat. Hunc timorem ingerimus, atque ex consequenti illud in quo fundatur, nempe incertos nos esse pœnitentiæ & perseuerantiæ nostræ.

Scripturas aliquot citat Artopæus: vt, Qui credit in me, habet vitam æternam, & fides vincit mundum, & , qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluus erit. Verū huiusmodi scripturæ neque designant hanc fidem lutheranam, qua quisque statuit se saluandum aut iustificatū, sed fidem qua creditur Christus esse filius Dei, saluator mundi: neque etiam docent quid semper eueniat credentibus, sed quid fides valeat, siue quo fides Christi sit eos ductura si eam & retineant, & per charitatē exerceant. vti supra diximus. Sicut recte dicitur fides in medicum sanare, si in ea perseueret & medici pharmaca recipiat ægrotus. vt & supra diximus.

Ioan. 3. 1. Ioan. 5. Marc. 16.

Cui fidei tribuat scriptura sacra iustificationem: ex veterum sententia. *Cap. 23.*

CONfutatis eorum argumentis, quæ ex Veterum dictis male intellectis fabricant, citemus nos verba Veterum; vt videamus quam fidem intellexerint tanquam iustificātem in scriptura commendari: licet iam hoc aliquousque ex quibusdam eorum ostenderimus. Omnibus per fidem Deus pater (inquit Hilarius) quibus est pater per eam fidem, qua Iesum Christum

Paulò post mē.

stum Dei filiũ confitemur. Quibus verbis Hilarius dicit hoc ipsum quod Christus, dum Petrũ beatũ prædicat, quia à patre cœlesti reuelante didicit, ipsum esse filium Dei: & dum Apostolos testatur amari à Patre, quia ipsum amarunt, & crediderunt quòd à Patre prodijt. Nil aliud dicit Hilarius quàm Ioãnes, ubi ait, credẽtes Iesum esse Christum filium Dei, habituros vitã in nomine ipsius. Augustinus. Quærendũ est, inquit, imò recolendum est, quam fidem tanta conflictatione commẽdet Apostolus. non enim quodlibet credere, bonum est. Nam vnde est illud: Fratres, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritũ qui ex Deo est. Nec in laudibus charitatis quod dictũ est: Omnia credit, sic accipiendũ est, vt charitati cuiuspiam derogandum sit, si non quod audierit, statim crediderit. Quid, quod eadem charitas admonet, non facilè de fratre mali aliquid esse credẽdum? Et cùm tale aliquid dicitur, hoc ad se magis indicat pertinere, ne credat. Postremò ipsa charitas, quæ omnia credit, non omni spiritui credit: ac per hoc omnia quidem credit, sed Deo: quia non dictũ est, Omnibus credit. Nulli itaque dubium est, eam fidẽ ab Apostolo commendari, qua creditur Deo. Sed adhuc est aliquid ad discernendũ, quoniã & illi credunt, qui sub lege sunt & timore pœnæ iustitiam suam facere conãtur. Et ideo nõ faciunt Dei iustitiam, quia charitas eam facit qua non libet, nisi quod licet: non timor, qui cogitur in opere habere quod licet, cùm aliud habeat in voluntate, qua mallet, si fieri posset, licere, quod

diũ lib 6 de trinit.

Matt. 16.

Ioan. 16.

1. Ioan 5.

Lib de spiritu & lit. ca 31.

1. Ioan 4

1 Cor. 13.

quod non licet. Et illi ergo credunt Deo. Nam si omnino nō crederent, nec pœnam legis vtique formidarent. Sed non hanc fidem commendat Apostolus, qui dicit: Non enim accepistis spiritū seruitutis iterum in timorem: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Timor ergo ille seruilis est. Et ideo quamuis in illo domino credatur, nō tamen iustitia diligitur, sed damnatio timetur. Filij verò clamant, Abba Pater: quarum duarum vocum vna est ex circuncisione, altera ex præputio: Iudæi primùm & Græci: quoniā vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Cum autem clamant, aliquid petunt. Et quid petunt, nisi quod esuriunt & sitiunt? Et hoc quid, nisi quod de illis dictum est: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur? Huc ergo transeant qui sub lege sunt, vt ex seruis filij fiant, nec sic tamen vt serui esse desistant, sed vt tanquam filij domino & patri liberaliter seruiant, quia & hoc acceperunt. Dedit enim potestatem ille vnicus, filios Dei fieri credentibus in nomine eius: eósque admonuit petere, quærere, pulsare, vt accipiant, & inueniant, & aperiatur eis, addens increpationem & dicens, Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se. Cum ergo virt⁹ peccati lex inflāmauerit aculeum mortis, vt occasione accepta, peccatum mandatum operetur omnem concupiscentiam: a quo petēda est continētia, nisi ab

Rom 8.

Matth. 5.

Ioan 1.

Matt. 7.

illo qui nouit bona data dare filiis suis? An fortè nescit insipiens, quod nemo esse posit cōtinens, nisi Deus det? Hoc ergo vt sciat ipsa indiget sapientia. Cur itaque nō audiat patris sui spiritum dicentem per Apostolū Christi, vel ipsum Christum, qui dicit in Euangelio suo: Petite & accipietis: Loquentem etiam in Apostolo & dicentem. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur illi. postulet autem in fide nihil hæsitans? Hęc est fides, ex qua iustus viuit: Hæc est fides, qua creditur in eum, qui iustificat impium: Hæc est fides, per quam excluditur gloriatio, siue vt abscedat, quā in nobis inflamur: siue vt emineat, qua in domino gloriamur. Hæc est fides qua impetratur largitas spiritus, de quo dicitur, Nos enim spiritu, ex fide, spem iustitię expectamus. Vbi quidem quæri adhuc potest, vtrū spem iustitiæ dixerit, qua sperat iustitia, an qua speratur ipsa iustitia, quoniam iustus ex fide viuēs sperat vtiq; vitā æternā? Itēq; fides esuriens sitiēsq; iustitiā, & renouationē de die in diē, interioris hominis: proficit in ea, & sperat in ea se satiari in vita æterna, vbi fiet quod in psalmo de Deo dicitur: Qui satiat in bonis desiderium tuum. Hæc est fides, qua salui fiunt, quibus dicitur: Gratia salui facti estis per fidē, & hoc nō ex vobis, sed Dei donū est: nō ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Postremo, hæc est fides quæ per dilectionē operatur, non per

Sap. 8. Matt 7. Iac. 1. Rom. 3. Gal. 5. Psal. 102. Ephes. 2. Gal. 5.

non per timorem,non formidando pœnam, ſed amando iuſtitiam. Vnde ergo iſta dilectio,id eſt, charitas,per quā fides operatur, niſi vnde illam fides ipſa impetrauit? Neque enim eſſet in nobis, quātacūq; ſit in nobis,niſi diffunderetur in cordibus noſtris per ſpiritū ſanctū qui datus eſt nobis. Charitas quippe Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, nō qua nos ipſe diligit,ſed qua nos facit dilectores ſuos: ſicut iuſtitia Dei,qua iuſti eius munere efficimur,& domini ſalus, qua nos ſaluos facit: fides Ieſu Chriſti,qua nos fideles facit. Hæc eſt iuſtitia Dei,quam non ſolū docet per legis præceptum, verumetiā dat per ſpiritus donum.

Rom. 5.

Ecce, hic ex profeſſo tractans Auguſtinus quid apud Apoſtolum fides ſit, docet eam eſſe qua Deo creditur: quod fidei iuſtificanti commune eſt cum fide coniuncta timori ſeruili & non iuſtificante. & dicit Apoſtolum commendare fidem,qua eſuritur & à Deo per Chriſtum petitur iuſtitia: quæ per charitatem operatur: qua impetratur charitas ſpiritus: qua in domino gloriamur. Eius autem fidei,qua certo quis ſibi perſuadet,ſe coram Deo iuſtum eſſe,nuſquā meminit. Imo capite vigeſimo nono dicit fidem dicere: Sana animam meam,quia peccaui tibi. Iuxta Lutherū,Sana eſt(dicit fides)anima mea, quia peccata mihi ſunt remiſſa. Iterum alibi Auguſtinus. Nos,ait,per fidē futuri iudicij Chriſti de viuis & mortuis ſtabimus ad dexterā Chriſti. Quo verbo conſonus eſt Apoſtolo Auguſtinus capite 11. ad Hebræos etiam illud: Iuſtus ex fide

Lib. de peccato orig. c. 26

viuit: de fide Christi ad iudicium venturi interpretante. At Lutherana fides, ab vtroque discrepans, non iustificat nisi a iudicio Christi futuro oculos auertat, eósque in solam Christi misericordiam conuertat.

Serm 4: de epiph.

Leo Papa: Hoc, inquit, est quod iustificat impios, hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in vno eodemque Domino nostro Iesu Christo & vera deitas, & vera credatur humanitas.

Lib. de incarna. vnigen. cap. 8.

Cyrillus: Beatus, inquit, Esaias: Missum est, inquit, ad me vnū ex Seraphin, et in manu habebat carbonem, quem forcipe accepit ab altari, & dixit ad me: Ecce tetigit hoc labia tua, & adimet iniquitates tuas, & peccata tua depurgabit. Carbonem autem dicimus figuram et imaginem nobis exhibere Verbi hominis facti: quod si labia nostra tetigerit, id est, fide in id cōfesi fuerimus tunc nos ab omni peccato puros efficit, & pristinis criminibus liberabit. Item infra: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnes qui credunt in ipsum non pereant, sed habeant vitam æternam. Quemadmodum enim serpens factus ex ære, salutis erat periclitátib⁹ causa: sanabantur enim in eum respicientes: eodem modo etiam dominus noster Iesus Christus, eis, qui eum vident quidem in similitudine malignorum, eo quòd factus sit homo, non ignorant tamē quòd Deus sit viuificus, causa erit vitæ, & dat posse animalia venenosa vitare, id est, contrarias potestates. Hæc Cyrillus. Ignota erat adhuc orthodoxis patribus illis Lutheri

Cap. 14.

theri doctrina, fidem illam iustificare aut viuificare, qua quis credit, sibi vitam & iustitiam certò iam collatam.

Breuis Epilogus prædictorum. *Cap. 24.*

MOrdicus ergo approbare cõtendimus: neminem rectè credere sibi remissa peccata, & se peruenturũ ad vitam æternã, tanquã hoc cõtineretur in ipso euãgelico, vt cæteri articuli fidei: videlicet, quòd Christus est passus, mortuus, sepultus, Imò asserimus nemini hoc licitum credere citra Dei peculiarem reuelationem, sicut alia Dei verba, et historias euãgelicas, etiam ad fidem christianam propriè non spectantes: non, inquam, sicut Ioseph creditur fuisse vir Mariæ: Mathias Apostolus successisse in locum Iudæ proditoris: Isaac natus ex Abraham. Dicimus nihilominus debere quemlibet sperare se assecuturum vitam æternam per bona opera, Christi gratia sibi donanda, si tempus non desit operandi: & veniam se obtenturũ ex Christi sanguine in sacramento baptismi vel recõciliationis, aut iam obtinuisse. Nec (vt nugantur hæretici) putandum est imperfectionem esse fidei (contra quam certare debeamus, sicut contra concupiscentiam veneream, infidelitatem, desperationem, & similia mala) de propitiato peccato non esse sine metu, sed, agnoscendo Deum solum scrutari cor hominis, metuere, ne fortè in nobis lateat aliquid mali, etiam dominans spiritui nostro, ob quod in ira Dei simus. Multò minus verò impugnan-

pugnandus est velut carnalis timor ille filialis, quo formidamus ne à gratia quam speramus iam nos adeptos, corruamus: & per consequens, ab æterna vita. Talis enim est timor castus, permanens in seculum seculi. De quo Psal. Seruite, inquit, domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinā: nequando irascatur dominus, & pereatis de via iusta. Pulchrè Augustinus de anima sancta atque perfecta: Meritò, inquit, non timet, quia perfecta charitas foras mittit timorem, & cum venerit ad Christi amplexū timet. Sed securiter qui timet, cauet, & obseruabit ab iniquitate sua ne iterū peccet: nō ne mittatur in ignem, sed ne ab illo deseratur. Et erit in illa, quid? timor castus permanēs in seculū seculi. Audiuimus duas tibias consonantes. Ille de timore dicit, & ille de timore dicit, sed ille de timore quo timet aīa ne damnetur, ille de timore quo timet anima ne deseratur. Ille est timor quem charitas excludit, ille est timor permanens in seculum seculi. Quali timore timebat Apostolus ne Corinthij seducerentur serpentina astutia à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Quem timorem habet charitas, imò non habet nisi charitas, vt ait Augustinus. Quo quidem loco euidēter patet Apost. nunquam docuisse Corinthios vt certa fide statuerent se perseueraturos in simplicitate christianæ fidei: quoniam si eos hoc docuisset tanquam euangelicam fidem, nunquam ipse, quæ antea ædificauerat, destrueret: non diceret vnquam se metuere ne eueniret aliud quàm habet euangelium: nunquam ipse

Psal. 18.
Psal. 2.

Tract. 9. in canonicam Ioannis.

Lib. 14. ca 9. de ciui. Dei.

ipſe fideles exemplo ſuo in dubitationem de rebus fidei adduceret: nunquam ſe ridiculum præberet Corinthijs, qui ei reſpondere poſſent: Quid, ô Paule, tu nobis times; qui nos docuiſti, vt ipſi nobis non metuamus à lapſu? Credamus igitur Apoſtolo, monenti vt cum metu & tremore noſtram ſalutem operemur: & peruerſores euangelij habeamus quotquot prędicāt peccatoribus pacem ante pœnitētiam, et in loco tentationis ſecuritatem. Nec more quorundā ex imperitia arbitremur Caluinum & Brentium eorumque ſimiles parum diſtare à fide catholica vbi dicunt fideles ſuos metuere, & aliquātulum hæſitare an Deo placeant & ſaluandi ne ſint: non, inquam, id de illis opinemur: quia dicunt hunc metum eſſe carnis & infidelitatis odiendæ atque oppugnandæ, non pietatis & obedientiæ erga Apoſtolica pręcepta.

Philip. 2.

Quanam fuerit Luthero cauſa comminiſcendi fidem hanc ſpecialem. *Caput 25*

ROget fortè quiſpiam, vnde Lutherani in hanc prodigioſam fidem, ipſa abſurditate abſurdiorem, tradendam populis venerint; quà ve de cauſa, cûm bis per omnia in pluribus diſſentiāt hodierni hæretici, in hac tamen concordes ſint vniuerſi Luthero: ſiue Zuingliani, ſiue Caluiniſtę, & quibuſcunque alijs nominibus cenſeantur. Dicam igitur primò cauſam, quæ eſt ex ipſorum parte: Deinde eam quæ ex Dei bonitate atque prouidentia ſumitur.

Lutherus igitur, dum craſsiſsimè errans diceret, in

ret, in renatis manere proprij hominis peccatum æternæ morte dignum: imò vniuersa ipsa opera bona esse peccata digna damnatione æterna (idque ideo quòd putaret quicquid legi diuinæ aduersatur siue volente siue nolente homine esse peccatum pœna eiusmodi dignum secundùm iustitiam) semel euacuabat omnem veram atque solidam consolationem baptismi, vtpote docens eum non tollere peccatum. Sacramentum verò pœnitentiæ, a Christo institutum in remissionem peccatorum quæ post baptismũ fragilitate humana admittuntur, multo amplius euertebat. Dicens enim omnia hominis opera esse peccata. populum auertebat à vera pœnitentia, super verè mortalibus peccatis agẽda. Peruersis verò his sacramẽtis, quæ à Christo pro purgandis peccatis instituta sciebantur: terribilis fuit illa Lutheri doctrina, bonum & lucem (hoc est, opera bona) clamans malum & tenebras esse (hoc est, peccata) & in desperationem propellebat, quum apud omnes constet, Dei iudicium esse secundum veritatem, Deūq; odisse impium & impietatem eius. Quid ergo remedij erat? Quid ratio faciendum dictabat? Consolatio aliqua quærenda fuit tanti huius terroris subleuandi gratia. Quid igitur faceret Lutherus? Sacramentum siquidem pœnitentiæ non consistebat cum eius doctrina. An orationes præscriberet, & diceret Deum inuocantibus paratum ignoscere? Sed iuxta doctrinæ principium, & hæ peccata erant, egebantque reconciliatione. Eadem ratione nec dolorem, nec con-

nec contritionem, nec meditationem super peccatis poterat præscribere. Deinde etiam nec sacramenta, nec orationes, nec doloré præscripsit; quòd cerneret populum christianũ præsertim qui sibi abhæsurus esset, valde carnalem, qui nec aliquid carni quacunq; ratione molestũ vellet sufferre. Ne ergo nullos haberet discipulos: ab omnibus quæ carné onerarent & stimularét abstinẽdum erat. Quid ergo reliquum, quo populum solaretur? Quid ad hoc præscribẽdum? Nihil enim omnino præscribere, sed dicere, Deum per Christũ omnia ignoscere, erat ex Christianis facere Turcas, & dicere: non est Deus. Dic, quæso, quid faceret? Excogitauit hanc fidẽ suam, hanc vanissimam persuasioné, quam cùm iuxta primũ dogma peccatũ quoque esse constaret, suiipsius expiatricem per Christum esse finxit. Et cùm Apostoli fidem prædicarint, tanquã fundamentum omnium quæ ad iustificationem & christianam religionem spectant, ipse excogitauit fidem, quam faceret domus & fundamẽtum, & parietes, & tectum: hoc est, quæ in nobis religionem & inchoaret & totam sola perficeret. Dumque ex fundamento facit parietem & tectum, totam euertit domum: & quos falsò terruerat, longè vaniùs consolatus est, annuncians pacem ijs quibus non est pax: ponẽs malum bonum, & tenebras lucem: viuificans animas quæ nõ viuunt: confortãs manus impij, vt non reuerteretur a via sua mala, & viueret: iuxta quod Esaias & Ezechiel de pseudoprophetis dicũt. Crede (inquit) tibi peccata remissa, & remissa

Hier. 8.

Esa 5.
Exech 13

& remissa sunt: crede te habiturum vitam æternam, & habebis. Quid quæso vanius, præsertim in christiana religione, tá multa præscribente ijs qui salui fieri volunt? Quid magis absonũ à verbo Saluatoris: Arcta est via, quæ ducit ad vitam? Quid apertius contradicat scripturæ, dicenti: Iustificatur homo ex operibus, & non ex fide tantùm: &, Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur? Adiuuabat autem hoc Lutheri consilium, quo hanc vanissimam consolationem populis statuebat obtrudere: quòd sciret scripturas in prima Ecclesiæ ex infidelibus collectione & fundatione conscriptas, sedulò fidem inculcare, & superbiæ Iudæorum, imò omnium hominum, facillimè sibi quæ habent bona ascribentium, nec donata sibi gratis à Deo agnoscentium, valde aduersari: ideoque Dei per Christum gratiam perpetuò inculcare. Sub his ouinis pellibus scripturarum, reputabat facillimè lupinam suam rabiem occultari: præsertim cùm videret catholicos suo tēpore modicùm in scriptura versatos: sed alios terrenis negotijs deditos, alios, nempe pios, vitæ sanctimonię magis quàm scripturis euoluendis affixos. Audacter itaque suam falsò consolatoriam fidem ingessit, & ex scripturis colorauit.

Matth. 7
Iacob. 2.
Rom. 2.
Nota.

Cur omnes Lutheri discipuli, etiam de grauibus rebus dissentientes, fidem specialem concordes doceant. Caput 26.

Et hactenus

ETHactenus rationẽ audisti christiane lector, qua hanc fidem est commentus Lutherus: nunc vlteriùs intellige. cur omnes eius posteri, tametsi eum in multis non sequantur, hanc tamen doctrinam mordicus cum eo teneant. quia nimirum vident, carnales homines, qui non solùm peccatis laborant, sed etiam Christum medicũ eiusque sacramẽta grauia putant, & admodum onerosa, mire huius fidei prędicatione delectari: quippe qua semel suscepta, omnes ecclesiasticas leges atque sacramenta, qua parte eis displicent, & insuauia sentiunt; securi excutiunt. Imò ea est causa cur multi discipulorum Lutheri ab ipso Luthero deficiant. Vident enim carnales, quos docuerunt semel iugum fidei excutere, paulatim magis à vera fide fieri alienos: ideoque ferre non posse doctrinã, qua docetur in Eucharistia esse verum corpus domini nostri Iesu Christi, sed causari sermonẽ hunc esse durum, quem nemo audire posſit. Deficiunt ergo & ipsi à magistro suo Luthero, dicẽtes in Eucharistia non esse corpus domini verè & substantialiter.

Quanam sit causa ex parte diuinæ prouidentiæ, cur omnes hodierni hæretici permittantur tradere doctrinam fidei specialis. Cap. 27.

NVnc magis aduertamus quid nos admoneat diuina prouidẽtia, permittendo hunc errorẽ de fide speciali iustificante, concorditer tradi à Luthero & omnibus eius discipulis, inter se super rebus grauiſsimis pertinaciſsimè

nacissimè discrepātibus. Profectò benignissimus Deus, instar expertissimi medici, de ipso periculo & ipsa hæresi, velut de veneno serpētis, parat nobis antidotum cōtra eandem ipsam hæresim. Nam in primis, si est vel minimum in nobis christianæ fidei atq; pietatis, quid horribilius vel intolerabilius audiri possit, quā, omnia opera iustorū esse peccata: &, sola fide qua quis firmiter credit sibi ignosci peccata, condonari ea omnia: &, sola fide qua quis credit se saluandū, saluum eum fieri? Sed esto quód fortassis imperitiori cuipiam per quasdam scripturas aliquantulæ nebulæ offunderentur, ita vt putaret has propositiones aliquatenus subtilitate quadam excusari posse ab hæresi: nónne tamem cùm primū intuetur, ex ijs principijs vniuersa Christi Sacramēta è medio tolli atque peruerti, vniuersam quoque christianam disciplinam semel auferri: ablatis veró hac ratione medijs requisitis ad veniam & vitam bonam, ipsam etiam iustitiam in hoc tempore, atque fœlicitatem in futuro percipiendam, prorsus sub blandæ fidei nomine eripit: cùm, inquam, hóc videt, nónne admonet eum misericordia Christi, vt pedem sistat & retrahat, tantóque fortiùs catholicæ Ecclesiæ matris vberibus adhæreat? Nónne clamare debet cum propheta: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & doce me iustificationes tuas. tempus faciendi domine, dissipauerūt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion? Et si adhuc impediatur aduertere per carnales contentiones hæreticorum

Psal 118.

ticorum, fide eorum nihil nō euerti: ſaltem cùm perſpicit hęreticos inter ſe ſuper ipſis Chriſti præcipuis ac maximis ſacramentis, baptiſmo & Euchariſtia, pertinaciſsimè diſcordes, & omnes interim ſecuriſsimè aſſeuerantes ſe certos eſſe de ſua doctrina, iuſtitia, atque futura beatitudine: nònne clariſsimum & inſolubile argumentū habet, ſatanicam eſſe omniū eorū doctrinam? Cum igitur videt homo quæ neceſſariò ſequuntur ex Lutheri principijs, habètne iuſtam cauſam reſpuendi ipſamet principia, & veneno ſequenti pellēdi venenum prius? Gratias agimus tibi ò Chriſte, qui inimicos euangelij tui, etiam ex ipſorummet euangelio conuincis: qui facis vt iniquitas Satanæ redundet in caput eius. & incidat in foueam quam fecit. Sic olim dum Donatiſtæ docerent baptiſma ab hæreticis datum non eſſe verum, ſed reuertentes ab hæreticis eſſe rebaptizandos: ſuam doctrinam deſtruxerunt, recipientes eos abſque vlla rabaptizatione, qui à Maximianiſtis, etiam Donatiſtarum iudicio hæreticis, reuertebantur.

Eſt & aliud in hac diuina prouidētia animaduertendum: benigniſsimè videlicet Deum prouidiſſe infirmo noſtro nimiumque carnali ſeculo, dum lupinam rabiem etiam innocentibùs & ſimplicibus chriſtianis ſtatim patefecit. Ipſi enim rapaces lupi, ouinam pellem, quæ in bonis in ſpeciem operibus conſiſtit, ſibi detrahunt & opere & doctrina. Non ieiunia obſeruant, vt Montani: non continentiam

prædicant

prædicant vt Encratitæ: non orationibus insistendum docent, vt Euchitę: non liberum arbitrium extollũt, vt Pelagiani: nec subtilia impugnant, vt Arriani & Nestoriani: sed apertè leges ieiuniorum omnemque ecclesię disciplinam aspernantur. Vota castitatis & paupertatis, superstitionem vocant. Sanctorum communionem, qua mortales à beatis opem implorant, & perfectiores imperfectioribus suffragãtur, dissoluunt. Sacramenta, quæ languentium remedia sunt hominum, auferunt, aut suæ fidei veneno contaminant. Imò qui inter eos Christum in Eucharistia esse tradunt, eum adorandum negant: vt pateat eos esse illius filios, qui ab ipso Christo volebat adorari, et semper ab initio mundi laborauit, vt Deum homines non adorarent. Certè si nullum alium errorem haberẽt quam quòd aiunt in eucharistia Christum non adorandum: veluti gentiles aut eis deteriores, qui nunquã Deum dixerunt, quem adorandum negarẽt, essent habendi: contradicentes apertæ scripturæ huic: Dominum Deum tuum adorabis. Sed hic de hac re satis. Notissimã igitur nobis fecit Christus lupinam rapacitatem huius nostri seculi hæreticorum: vt scilicet alienum istum lupum (Lutherum dico) non sequamur sed omni studio ac celeritate fugiamus ab eo indiuiduè sequẽtes pastorẽ nostrũ Dominũ Iesum Christum,

TRACTA-

TRACTATVS DE CATHEDRÆ PETRI PERPETVA protectione & firmitate.

Authore Ioanne Hesselsà Louanio, Sacræ Theologiæ Professore.

CAPVT I.

QVVM etiam è grege à lupo dispersæ oues & laceratę iactent se pastorem Christum sequi: operæ preciũ est breuiter videre, quid exurgentibus lupis agendum sit ouibus Christo adhærere volẽtibus: quia nec hoc intactũ reliquit Monhemius in dialogo de fide. [Si falsa, inquiens, doctrina, falsus Dei cultus, & id genus impietas in Ecclesiam irrepserint, hæc Ecclesiæ præsides ilico extirpabunt. Quód si negligentes fuerint, piorum Regum ac principum partes erunt, exemplo Ezechiæ, Iosiæ, Cõstantini, Theodosij & multorum aliorum regũ, tùm in vetere, tum in nouo Testamento, Ecclesiam expurgare.]

Rectissimè dicis, Monhemi, præsidum Ecclesiæ esse, falsam doctrinam, falsum Dei cultum ex Ecclesia extirpare: quandoquidem

Christus dedit, attestante Apostolo, pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominũ, in astutia ad circumuentionem erroris. Et Christus ipse: dum Satanas expetijsset à Deo, vt Apostolos omnes perpetuò posset agitare atque concutere, quò in nulla religione permanerent stabiles, sed mouerentur omni vento doctrinæ, velut triticum in cribro perpetuò agitatur: ita se huic Satanæ petitioni opposuit, vt pro Petro peteret à patre solidam & indeficientem fidem, qua ille alios doctores, fratres suos, solide stabiliret: vt deinde & ipsi totam Ecclesiam ab erroribus seruarent immunem. Vnde constat, non tantum falsam doctrinam & impios cultus exterminare pastores & doctores suo ex officio debere: sed eos etiam hoc vsque facturos. Frustra igitur dicit Monhemius: [Quòd si præsides Ecclesiæ negligentes fuerint, piorum regum & principũ partes erunt purgare Ecclesiam.]

Luc 22.

Exempla porrò quæ profert, nẽpe Ezechiæ, Iosiæ, Constantini, et Theodosij, planè oppositum docere statim mõstrabimus: vt clarum sit, Monhemium nihil habere pensi, modò pueris imponat, siue falsas historias citet siue veras. Ezhechias quidẽ magno zelo hortat⁹ est Sacerdotes & Leuitas, vt officio suo probè fungerentur: &

tur: & ex Esaiæ prophetæ consilio, regia vsus authoritate, ea quæ contraria erant auitę religioni Dauidis aboleuit: non tamen suppleuit præsidum Ecclesiæ negligentiam, non vsurpauit sibi de falsa doctrina iudicium, non ipse falsos cultus sua authoritate discreuit à veris, non sacerdotum officium inuasit. Quid verò de illo referat scriptura, audi: Locutus est Ezechias ad cor omnium Leuitarum, qui habebant intelligentiam bonam super domino. Rursum: Fecit, inquit, Ezechias quod placuit Deo: & fortiter iuit in via patris sui. quam mandauit illi Esaias propheta magnus & fidelis in cōspectu Dei. Habebat Ezechias insigne exemplum patris sui Iosaphat: qui sacerdotes atque Leuitas miserat prædicatum legem Domini, nobilibus suis præsidij loco eis adiunctis: qui dum sacerdotibus aderant, non minùs populum docebant legem authoritate, quàm Sacerdotes verbo. De quo etiam hæc leguntur: In Hierusalem quoque cōstituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, vt iudicium et causam domini iudicarent habitatoribus eius Præcepitq; eis, dicens: Sic agetis in timore domini, fideliter & corde perfecto. Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorū, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de lege, de mādato, de cæremonijs, de iustificationibus: ostēdite eis, vt non peccent in Dominū, & ne veniat ira super vos & super fratres vestros: sic ergo agētes, non peccabitis, Amarias autem sacerdos & pon-

2. Par. 30.

Eccli 48.

2. Par. 19.

tifex vester, in his quæ ad Deum pertinent præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit quæ ad regis officium pertinent: habetisq; magistros Leuitas coram vobis, confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus cũ bonis. Hic sedulò distinguit officium sacerdotis ab officio Regis. Sciebat enim in lege sibi præceptũ, vt peteret legem à Sacerdotibus Leuiticæ tribus. Sciebat quid Moyses exortis circa legem ambiguis agere mandasset. Non ignorabat id quod longè posterior eo propheta dixit: Labia sacerdotis custodiẽt scientiã, & legẽ requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Vbi manifestè etiam de ipsa substantia religionis fit mentio, non solùm de ciuilibus causis: sicut & Christus hoc repetẽs in euãgelio, ait: Super cathedrã Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcunq; dixerint vobis seruate & facite.

Deut 17.

Malac. 2.

Matt. 23.

Similiter Iosias, anno 18, regni sui, potentia sua quidem affuit Sacerdotibus et Leuitis, Idololatriã exterminans, sed eorum officium non assumpsit. Docebatur quippe à Hieremia Sacerdote: qui decimo tertio anno regni ei⁹, quinto videlicet anno ante euersionem peregrini cultus, prophetare exorsus est quòd quisque vocationi suæ incumbẽdo, & non alienum inuadendo officium, Deo placeret. Nunq̃ inter tot idololatras puer sedecim annorum idololatriã paternam contempsisset, & ex toto corde domino adhæsisset, nisi egregios magistros audiuisset: qui eum magis docebant auitam Dauidis

patris

patris ſui & Ezechiæ ſequi pietatem, quàm idololatriam Amon & Manaſſæ recens Iudam & Hieruſalẽ inductã. Sic Ioas, cũctis diebus quibus audiuit Ioiadam Sacerdotẽ, Deo acceptus fuit, proſperèque egit. Ozias autẽ euidenti plaga percuſſus eſt, quia inuaſit officiũ ſacerdotale.

4 Reg. 12.
4. Reg. 15.
2 Par. 26.

Sed veniamus ad principes, quos noui Teſtamenti tẽpore dicit Monhemius purgaſſe Eccleſiam, & ſuppleuiſſe quod præſidum Eccleſiæ negligentia delictum erat: Conſtantinum (dico) & Theodoſium. Ex conciliorũ geſtis notum eſt, quid dixerit Conſtantinus in Nycena ſynodo, & quo gradu ſe ibi fuiſſe agnoſcat. Sic enim ſcribit Ruffinus eũ epiſcopos alloquutum: Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicãdi: & ideo nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem nõ poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudiciũ, & veſtra iurgia quæcunque ſunt, ad illud diuinum referuentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis Dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptũ eſt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem Deos diſcernit. Theodoretus verò ſic de eo ſcribit: Aiunt & hoc adiecisse Conſtantinum: Se, ſi fortè oculis conſpexiſſet ſuis epiſcopum alienum torum labefactãtem, obtecturum paludamento ſceleratum facinus, ne cui fortè cernentium illud viſum noceret. Hac monitione tantoque honore Sacerdotibus habito, hortatus eſt vt ſuum quiſque ouile capeſſeret. Recitat idem

Lib. 10. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. cap. 2.
Pſal. 81.
Lib. 1 ca. 11. hiſtoriæ eccleſiaſticæ.

Theodoretus epistolam Constantini, in qua dicit: Quicquid in sacris episcoporum concilijs cōstitutum fuerit, id ad diuinam voluntatem est referendum. Hæc profectò insignia sunt Constantini exempla, quibus facilè testatur & significat, non se voluisse pastorum Ecclesiæ munus subire, nec putasse eò redigendam Ecclesiam, vt omnes in vniuersum pastores & doctores veræ doctrinę ab Ecclesia auferrentur, aut intantum eorum cumularetur negligentia, vt ipsorum partes sumere in Ecclesia deberent principes.

Lib. 9 ca. 7. historiæ tripar. codice de sum. tri. & fide cathol. tit. 4. Cunctos populos etc

Cōsiderem' parúper quid & Theodosio tribuat vetusta historia. Extat lex ei'. Cunctos populos (ait) quos clemētiæ nostrę regit imperiū, in tali volumus religione versari, quā diuinū Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, vt secundùm Apostolicam disciplinam, euangelicamque doctrinam, Patris & Filij & Spiritus sancti vnam deitatem, sub pari maiestate & sub pia trinitate credamus. Hanc legēm, sequentes Christianorum catholicorum nomen, iubemus amplecti: reliquos verò dementes vesanósque, iudicantes hæretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primùm vindicta, post etiam motus animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, vltione plectendos. Vides Theodosium lege sua tueri fidem apostolicæ Sedis. Gratianum autem imitatus fuit, qui scrip-

Lib. 5 c. 2

qui ſcripſerat legem, præcipiens vt expulſi paſtores, ad ſua ouilia redirent, ſacræque baſilicæ eis traderentur, qui communionem Damaſi ſequerentur.

hiſtoriæ Theodoreti.

Extat & aliud eiuſdẽ Theodoſij inſignis fidei argumẽtũ: in quo meritò & principes, & priuati omnes eũ imitẽtur. Cũ nẽpe Siſinnius quidã cõſiliũ dediſſet epiſcopo Nectario, vt diſputatiuas fugeret intẽtiones, et teſtimonium ex traditione veterũ adhiberet, vtq; præſules hæreſeon interrogaret Imperator, an ſermonem vellent facere de antiquis Eccleſiæ doctoribus, qui ante diuiſionem floruiſſent, an certé illos velut alienos à Chriſtianiſmo reſpuerẽt. & ſi quidẽ eos abnegarent, obijceretur eis: ergo eos anathematizare præſumite. Et ſi hoc facere auderent, à populo pellerentur. Quo facto apertam fore victoriam veritatis. Si verò de principis nõ offenderentur doctoribus: Noſtrũ, inquit, eſt præbere veterum libros, per, quos noſtrũ dogma illorũ teſtimonio roboretur. Inter hæc cum Nectarius Siſinnium dicentem libenter audiſſet, feſtinus ad Palatium properauit, dixitq; principi conſilium datum. At ille conſiderata ſententia, cauſam ſapienter inſtituebat. Deinde conuocatis hæreſiarchis, interrogauit an ſuſciperent magiſtros Eccleſiæ, qui ante tempora diuiſionis extitiſſent. Illis verò non abnegantibus, ſed tanquam præceptores honorantibus: rurſum Imperator interrogauit, an eis horũ teſtimonia de Chriſtiano dogmate complacerent. Hæc audiẽtes Præſules hęreſeon, atque diſputatores eorum (erant enim plurimi

Lib. 9. hiſtoriæ tripartitæ. cap. 19.

ad disputationis certamina parati) in responso vehementer hęserunt. Irruit enim in omnes magna discordia, alijs dicētibus bonum Imperatoris esse propositum, alijs verò cogitantibus, quód non ipsorum expediret proposito, dum alij aliter de libris veterũ sentire viderentur. Et nequaquam intra se conspirabant, sed erant diuisi, non solúm aduersus alias hæreses, sed etiam inter seipsos, qui pridem vnius hæreseos esse videbantur: quamobrem consors malitia, sicut linguæ Gigantum veterum, est diuisa & turris eorũ funditus est euersa. Cognoscens ergo Imperator eorum confusionem, & quód in disputatione solũmodò, & non in antiquis expositionibus cõfidebant, alio properauit itinere, eisque declarauit, vt ex scripto vnaquæque religio definitionem suæ fidei declararet. Tunc callidi viri singularium hæreseon subtiliter sua verba tractantes, dogma propriũ conscripserunt. Erat enim definitus dies, quo singuli episcoporum ad palatium conuenirent. Aderát ergo Nectarius & Agelius τοῦ ομοουσίου fidei presidẽtes, Arrianorum veró Demophilus. Eunomianorum ipse Eunomius. Macedonianorum Eleusius Cyzici. Igitur Imperator eos qui conuenerant, & vniuscuiusque dogmatis scripta suscipiens seorsumque recedens, orauit intente, vt sibi cooperaretur Deus ad veritatis electionẽ. Deinde vniuscuiusq; dogmatis relegens scripturá, alia quidem omnia tanquam diuisionẽ trinitatis introducentia culpans, repentè disrupit, & solúm τοῦ ομοουσίου dogma cum laude suscepit.

Gen. 11.

Orabat

Orabat autem Theodoſius: non vt Brentius imaginatur, veluti tentans Deum & non credēs Patrem & Filiū & ſpiritum S. eſſe vnum Deum, nec hoc an verum eſſet ſibi reuelari cupiens: ſed ne verborum vafricie ſibi imponeretur ab hæreticis, vt aliquos nō verè catholicos veluti catholicos in ſuam communionem reciperet: quomodo factum fuerat pridē Arimini, vbi quidam catholici Epiſcopi, putantes Valentem & Vrſatium verè catholicos, tantúmque eſſe de voce certamen, cōſenſerunt in deletionē vocis, homouſion. Et eum id metuiſſe ſatis ſignat Socrates, dum dicit eum omnes abieciſſe tanquam ſacræ triadis diuiſionem inducentes, exceptis homouſianis, hoc eſt, catholicis.

Habes igitur in quibus meritò imitandi proponuntur reges pijſsimi. Proferat, ſi poteſt, Monhemius, vbi vnquam dixerint vel putarint hi eximij principes, ſui muneris eſſe purgare Eccleſiam à falſa doctrina, & ſupplere paſtorum Eccleſiæ ignauiam.

Martianus auguſtus pari fidei feruore ſcribit Leoni Papæ primo. Si, inquit, hoc oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias: hoc ipſum nobis proprijs literis tua ſanctitas manifeſtet, quatenus in omnem orientem & in ipſam Traciam & Illyricum ſacræ noſtræ literæ dirigantur, vt ad quendam diffinitum locum, vbi nobis placuerit, omnes ſanctiſsimi epiſcopi debeant conuenire, & quæ Chriſtianorum religioni atque catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundùm eccleſiaſticas regulas diffiniuerit,

Epiſtola ſita eſt in 1 Tomo cōcilio-rum ante ſynodum Calcedonen.

finiuerit, sua dispositione declarent, Itidem synodum Calcedonensem allocutus est: Manifestum, inquiens, est, quòd ex auaritia vel vano studio, hi, qui præcedentibus temporibus diuersa sapuerunt, & docuerunt populum prout eis placuit, non prout conuenit, neque quod veritas aut doctrina patrum exquirit: multi ad errorem seducti sunt. Vnde, vt sanctā synodum ad istam ferre perfectionem properemus, laborem vobis arbitrati sumus imponere, vt omni errore caliginis deterso, secundū quod ipsa diuinitas hominibus se fieri manifestam voluit, vt patrum demonstrauit doctrina, sic fides nostra, quæ pura & sancta consistit, in omnium ingrediens animas, propriæ veritatis effulgeat luce. De cætero autem, nemo de natiuitate domini & Saluatoris nostri Iesu Christi aliud disputare præter quod Apostolicum procemium 318. sanctorum patrum consonans huic doctrinæ, tradidisse noscitur, sicut sanctißimi Papæ Leonis, qui Apostolicum gubernat thronum, ad sanctæ memoriæ Flauianum regię vrbis Constantinopolitanæ quondam episcopum, testantur literæ. Nos enim ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo Imperatoris Constantini adesse synodo excogitauimus, ne in posterum multitudo populi institutionibus prauis attracta, inueniatur dissentiens, Et post conclusionem concilij legem tulit his verbis: Tandem, inquit, aliquando, quod summis votis atque studijs optabamus, euènit. Remota est de orthodoxa Christianorum lege con-

In synodo Calcedonen. actione 1

Actione tertia

ge contentio, tandem remedia culpabilis erroris inuenta sunt, & discors populorum sententia in vnum consensum cõcordiamque conuênit. Ediuersis enim prouincijs religiosissimi sacerdotes Chalcedonam venerunt iuxta nostra precepta, & quid obseruari in religione debeat, perspicua definitione docuerunt. Cesset igitur iam prophana contentio. Nam verè impius atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitiũ lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit. Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide christiana publicè turbis adunatis & aduenientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religiosissimæ synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit: cum ea quæ nunc de christiana fide statuta sunt, ac iuxta apostolicas expositiones & statuta sanctorum patrum 318. cẽtum quinquaginta definita esse noscuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit: quia non solùm contra fidem bene dispositam veniunt, sed etiam cum Iudæis & paganis ex huiuscemodi certamine prophanant veneranda mysteria. Et infra: Constat enim (ait) hinc hæreticæ insaniæ exordia fomitemque præberi, dum publicè quidam disputant atque contendunt. Rursum:

Actione 3. eiusdem synodi.

Venera-

Venerabilis, inquit, ſynodus innumerabilium pené ſacerdotum Chalcedone conuenit: quæ dum fidem diligenter inquirit, authoritate beatiſsimi Leonis epiſcopi æternæ vrbis Romæ, & religionis fundamenta cõſtituit ſanctæ ciuitati, & Flauiano palmam mortis tribuit glorioſæ. Nec enim patimur quicquam quod ad eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit quod mouetur, vt non etiam veſtrę innoteſcat ſanctitati: quia caput eſt omnium ſanctarum eccleſiarum. Hæc ille.

Prętereo hiſtorias Caroli magni, & pijſſimorum Ottonum: qui hos adeó illuſtres principes ſibi pro exemplaribus propoſuerunt, & Apoſtolicæ ſedi in rebus religionis adhæſerunt. Doceat Monhemius, exemplis, ſi poteſt, vllis, Principes pios occupaſſe Sacerdotum officium in purganda Eccleſia. Sed quid fruſtra conaretur: quoniam ſcripturarum veritatem infringere nequit? Proculdubio enim, tunc & princeps & populus Chriſtum ſequitur, cùm paſtorem ſequitur à Chriſto inſtitutum, Eccleſiæque præfectum.

Chriſtum inſtituiſſe vnum primum paſtorem, cui nunquam finiendam fidem dedit. *Cap. 2.*

IPſe ſiquidem peregrè profectus, mandauit ſeruis ſuis, cuique vt vocationi ſuę non ignauè inſeruiret. Sed vni Ianitori iniunxit, vt omnibus vigil intenderet an ſuũ officiũ perſoluerent: dans ei claues, ſeu regimen regni ſui. Oues ſuas paſcẽdas, fouendas, atq; regendas ter diligen-

Ioan. 21.

diligẽtiſsimé ei cõmẽdauit. Quibus inſtitutis vtique non minûs ſeruos & oues ei concreditas obſtrinxit ad audiẽdũ, obediendũ, pabulumque ab eo accipiendum, quàm paſtorem ad vigilandu, regẽdũ, & paſcẽdũ. Et ne vel de tãto onere ſuſtinẽdo Paſtor deſperaret, vel oues parũ fiderẽt ſuo paſtori, inſignẽ promiſſionẽ huic paſtori dedit: nẽpe quód rupes eſſet planè immobilis, ſuper quã tã firmiter cõſtrueret domũ ſuã, eccleſiã, vt portæ inferi, hoc eſt, tribunalia, iudicia, principat' diaboli, ſectatorũq; eius, ei præualere nequirẽt. Chriſtus, inquit Ambroſius, cùm Petrum petram dicit, firmamentum Eccleſiæ iudicauit. Item Cyrillus: Chriſtus filio Ionæ non Simon fore iam nomen, ſed Petrus prædixit: vocabulo ipſo commodè ſignificans, qnòd in eo tanquã in petra lapideque firmiſsimo, ſuam eſſet ędificaturus Eccleſiam. Hęc Chriſti promiſsio quam verax eſſet, cœpit oſtendere, quãdo Satanas obtẽta à deo licentia occidendi Chriſtum, perrexit vlteriùs, & petijt à Deo patre, vt poſſet & Chriſti nomen ita de terra viuentium eradere, vt nõ memoraretur ampliùs, & omnes ad vnum eius diſcipuli exterminarẽtur: vt omnes Chriſti diſcipulos perpetuò poſſet agitare atque concutere, vt in nulla religione vera manerent ſtabiles, ſed mouerentur omni vento doctrinæ, ſicut triticum in cribro perpetuo agitatur. Et quemadmodum farina tritici in cribro agitata, paulatim amittit omnem pollinem, remanentque tantùm ſurfures ſeu: ſicut triticum ex cribro agitatione excidit, remanentibus in cribro ſolis paleis: Ita dia-

Matt. 16.

Lib 4 de fide c 3.

In Ioan. li. 2. c. 12.

Ita diabolus voluit discipulos amittere omnem florem fidei & religionis, remanereque eis duntaxat vanas quasdam superstitiones. Sed tunc orante Christo, indefectibilis fides vni Petro concessa est, & hac via omnibus Christi discipulis prouisum ipso videlicet Petro confirmaturo Christi institutione omnes fratres suos. Quod enim dicit Christus: Confirma fratres tuos: non tam est imperantis aliquid, vnde vel obedientia laudaretur, vel inobedientia puniretur, incerto interim manēte euentu obediētiæ vel inobediētiæ: sed est Christi ordinantis atque instituentis confirmatorem fratrum in fide: Sicut est illud, quod dixit Deus piscibus Crescite & multiplicamini. Vnde per Petrum eiúsque sedē, et hucusque confirmati sunt, & vsque in seculi finem eonfirmabuntur fideles. Nec solum promissum est à Christo, quòd per hunc pastorem insuperabilis esset à portis inferi ecclesia, quòdque cōtra hæreses vniuersas in fide firma persisteret. verum etiá adiecit, se eius regimen ratum habiturum: Quodcunque, inquiens, ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis: Et quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Requiritur enim non solùm vt paterfamilias atque pastor domum & oues ab hostibus extrinsecus oppugnātibus tueatur, sed etiam vt intus prudenter gubernet & pascat suos. Hæc autem non pro ecclesia duntaxat et ouibus tempore Petri viuentibus sunt dicta, sed & pro tota Ecclesia Christi in finem vsque seculi duratura, testante Christo: Super hanc petram

Luc. 22.

Genes. 1.

Matt. 16.

Matt. 16.

ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt, siue nunquam præualebunt aduersus eam. Vnde etiam ad Petri successores transeunt : vt compleatur quod dictum est discipulis : Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad seculi consummationem. Matt.28.

Declaratur promissio facta Petro, ex ea quæ facta fuit Abrahæ & Dauidi. *Caput 3.*

HÆc maxima fidelium consolatio, qua securi sunt, per Petrum eiúsq; successores semper fidei doctrinam propugnandam atq; custodiendam, sèque errare non posse in fide, dum Petri cathedram sequuntur : similis est consolationi fidelium, quam habuerunt ante Christi aduentum de futura eius incarnatione ad hominum salutem. Ex quo enim dixit Deus Abraham: Benedicentur in semine tuo omnes gẽtes: semper certi fuere fideles, Christum expectandum esse ex semine Abrahę, & eius domum respiciendã, vt agnosci posset Christus. Et pòst multiplicata Abrahæ stirpe : quia nec tota Abrahæ posteritas mansura erat in vera & religiosa expectatione Mesiæ: iterum Deus pro cõsolatione fidelium aliam domum delegit & determinauit, in quam respiciẽtes fideles Mesiam expectarent, nempe domum Dauid : ita vt vulgo notisimum esset, Christum nasci debere ex stirpę Dauid, imò, ex Bethleem ciuitate Dauid. Et qnanquam fuerint in domo Dauid impijsimi reges, Achaz, Amõ, Aliique permulti, nõ fuère tamen turbati fideles. Respexerunt magis Gen.12. Ioan.7.

in Dei

in Dei promiſsionem Dauidi factam, quàm regum ſuis temporibus regnantium impietatem. An putamus, ipſo tempore gratiæ & effuſionis largiſsimæ Spiritus ſancti non prouiſam etiam ſenſibilem & corporalem ſucceſsionem, quam intuentes fideles expectent ex ea Chriſti ſolidá doctrinam, fidei & pietatis cuſtodiam? Sí Chriſtus deſignauit, ex qua familia eſſet naſciturus: vtique & ſenſibiliter deſignauit, ad quam domum & familiam ſaluandam eſſet in extremo iudicio venturus. Et quando quæſo pactum inijt cum Abraham, quod ex eius ſtirpe foret expectandus Chriſtus? Dum ſumma deuotione paruit Deo, paratus illi vnicum ſuum naturalem filium immolare. Tunc Dei incarnationem edoctus, promiſſum accepit: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes: cũ antè tantùm audiſſet, In te benedicentur omnes nationes, nõ nominato ſemine ex quo benedictio futura foret. Quando Dauid pari deuotione accenſus ædificare voluit domum domino, tũc didicit clariùs quàm anteà ſciuerat, Chriſtum filium Dei, hominem futurum ad ædificãdam eccleſiã: tunc & promiſsioné accepit, quod Chriſtus foret filius ſuus. At quando Petro Chriſtus promiſſum dedit? cùm ille flagrantiſsima fide, reuelatione patris cæleſtis præuentus, eum quem præſentem miſerum hominem eſſe cernebat, Dei naturalem filium diſertè confeſſus eſt: quando etiam ſimili deuotione affectus dixerat, Domine, tu mihi lauas pedes? non lauabis mihi pedes in æternum: et, Animã meam pro te

Geneſ.22. Geneſ.13 2.Reg.7 Matt.16 Ioan.13.

pro te ponam: Tunc dictum est ei: Non deficiet fides tua: confirma fratres tuos. Rursus cùm post amarum & multum fletum humiliter ter confessus est, se amare dominũ Christum ter audiuit: Pasce oues meas. Cõparentur obediens Abrahá, deuotus psaltes Dauid, & feruidus Petr᷒. sicut virtutib᷒, ita promissis inueniũtur similes. Idq; totũ pro vnius Ecclesiæ salute gestũ est. Luc. 22. Ioan. 21.

Ostenditur necessaria esse in Ecclesia pro omni tempore, stabilitas summo pastori à Christo promissa: christianosque ad eam promissionem semper respexisse. *Caput 4.*

SI enim oriatur quæstio fidei: quó quæso respiciẽt idiotæ fideles, vt rectam non deserant fidem? an in totá ecclesiá? Sed admodum lata est: nec facilè ac certo à quouis perspici potest, quænam sit eius per diuersissima loca diffusæ sentẽtia: maximè, quum & acerrimi eius hostes sese de ea esse iactitent. An expectabunt futurũ concilium? sed in longum eius protrahitur congregatio: summaque cum difficultate conuenire videas ex toto orbe in vnum locum pastores. & ante eius definitionem nõ pauci morientur anxij quid sequi debeant. Hæc tamen nõ eò quis rapiat, quasi totius Ecclesiæ sentẽtia & concilij definitio non esset certa, aut non vtilissimum saluberrimumq; sit eam nôsse: sed quia Christus nõ ad hæc sola exurgente quæstione nos respicere voluit: imò iam dictis & plerisque alijs incommodis benignissimè remedium prouidit Christus; dicens nobis quòd pro Luc. 22.

Petro orauerit, vt à fide non deficiat, omnésque fratres suos consolidat. Omnes igitur hactenus fideles, in promissioné Petro factam intuentes, non tam attenderũt in successoribus Petri mores (quos quandoq; malos fuisse constat, & si nõ adeó frequenter, nec tales vt clamitant hæretici) non tá morati sunt priuata eorum facta vel dicta, quá, Christũ esse veracẽ in suis promissis.

Aduersus hæreses Valent. & similium lib. 3. ca. 2.

Hanc rem veró ex Pátribus declaremus. Ait Irenæus: Quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ & constitutæ ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatá hominibus fidẽ, per successiones episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, prçterquám oportet colligunt. Ad hác enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt vndique fidéles, in qua semper ab ijs qui sunt vndique conseruata est ea quæ est ab apostolis traditio,

Lib. 1. epistola 5.

Cypriani martyris, & si in obscura tunc quçstione à Romano episcopo dissideret, audi quale sit testimoniũ pro Petro eiusq; successore. Neq; inquit, aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quá inde quód Sacerdoti Dei nõ obtẽperatur, nec vnus in ecclesia ad tẽpus sacerdos, &

dos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quidquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se iam non episcopi, sed Dei faceret: nemo disidio vnitatis Christi ecclesiã scinderet: nemo sibi placens ac tumens, seorsum foris nouam hæresim cõderet.

Et vt agnoscas de quo sacerdote hoc dicat, subdit ibidem: Nauigare audent hæretici, & ad Petri atque ecclesiã principalem vnde vnitas sacerdotalis exorta est: à schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorũ fides, Apostolo prędicãte, laudata est, ad quos perfidia non posit habere accessum. Et alibi Videns, inquit, diabolus idola derelicta, & nimium credentium populum, sedes suas ac templa deserta: excogitauit nouã fraudem, vt sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos. Hæreses inuènit & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circunscribit & decipit noui itineris errore. Rapit de ipsa ecclesia homines: & dũ sibi appropinquasse iam lumini, atque euasisse seculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, vt cũ euãgelio Christi, & cum obseruatione eius & lege non stantes, christianos se vocent, & ambulãtes in tenebris habere se lumẽ existimẽt blãdiẽte aduersario atq; fallẽte, qui secundùm Apostoli vocem trãsfigu-

Idem.

Rom. 1.

Tracta. 7. de simplic. prę'at.

2. Cor. 11

rat ſe velut in angelum lucis,& miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros iuſtitiæ,aſſerentes noctẽ pro die, interitum pro ſalute , deſperationem ſub obtentu ſpei , perfidiam ſub pretextu fidei. Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti: vt dum veriſimilia mẽtiuntur,veritatẽ ſubtilitate fruſtrentur. Hoc eo fit,fratres dilectiſsimi,dũ ad veritatis originẽ nõ reditur, nec caput quæritur,nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. Quę ſi quis cõſideret & examinet, tractatu longo atq; argumẽtis opus nõ eſt. Probatio eſt ad fidem facilis conpẽdio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum.

Matt: 16. Ego tibi dico,inquit , quia tu es Petrus, & ſuper iſtã Petrã ædificabo eccleſiã meã: & portæ inferorum non vincent eã. Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quæ ligaueris ſuper terram , erunt ligata & in cælis : & quæcunque ſolueris ſuper terram,erunt ſoluta & in cœlis. Super vnum

Ioan.21. ædificat eccleſiam , & illi paſcendas oues mandat. Et quanuis apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parẽ poteſtatem tribuat, & dicat:

Ioan. 20. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum: Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi : ſi cui tenueritis,tenebuntur : tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipiẽtem , ſua autoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus , pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis : ſed exordium ab vnitate proficiſcitur vt eccleſia Chriſti vna mõſtretur.

In epiſt. Quoniam Hieronymus : Cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum

primum

primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ id est, cathedræ Petri communione consocior. super illam Petram ædificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est, Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et paulo inferius, Non noui Vitalem, Melitium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum nō colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

vetusto oriēs etc. ad Damasum,

Ambros. Christus, inquit, eleuandus in cœlum Petrum amoris sui nobis velut vicarium reliquit. Et libro de obitu fratris: Aduocauit Satyrus, inquit, ad se episcopum, nec vllam veram putauit nisi veræ fidei gratiam, percunctatúsque ex eo est vtrumnam cum episcopis catholicis, hoc est, cum Romana ecclesia conuenirent.

In cōmētario in Lucā, in 24. c. luc. In hymno matutino: Gallo ipsa Petra ecclesiæ canēte culpā diluit.

Et Prosper cap. 6. lib. 2. de vocatione omnium gentium; Gratia christiana, inquit, non contentà est eosdem limites habere quos Roma, multosque iā populorū sceptro crucis Christi illa subdidit. quos armis suis ista nō domuit, quæ tamē per apostolici sacerdotij principatū amplior facta est arce religionis, quā solio potestatis.

Augustinus: Numerate, ait, sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo patrum, quis cui successit videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt inferorum portæ. Idem alibi: Multa sunt, inquit, quæ me in ecclesiæ gremio iustissimè tenent, Tenet me consensio populorum atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pas-

Id Psal. contra partem Donati. Lib. contra epist. Manichæi c. 4 Ioan 21.

cendas oues suas post resurrectionem suam dominus commendauit, vsque ad præsentem episcopatum successio sacerdotũ. Tenet postremo ipsum Catholicę nomen: quod non sine causa inter tam multas hæreses sola obtinuit. Et alibi: Si ordo episcoporum, inquit, sibi succedentium considerandus est, quanto certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius ecclesiæ figuram gerẽti Dominus ait: Super hanc Petram ędificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens. Et cæteros potifices numerans, numero 39. subdit. In illum ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiam si quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret ecclesiæ & innocẽtibus christianis: quibus dominus prouidens ait de præpositis malis, Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt: Vt certa sit spes fidelis, quæ non homine sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis disſipetur. Hæc Augustinus. O Augustine. Durauerat sedes Petri tempore tuo fortè quadringentis annis. Quid nunc de ea diceres, quæ a dominica incarnatione ad hunc vsque diem, hoc est, supra millesimum quingentesimum sexagesimum annum perseuerat, & fidem catholicam custodit? Euanuere omnes qui contra hanc sedem se statuerunt, Istud fortasse acceptum tulissemus virtutibus, quibus prædititi sunt præ alijs orbis episcopis

Epist. 165.

Matt. 16.

Idem.

Matt. 23.

episcopi

episcopi Romani: sed dum & malos videmus in eam cathedram succedere, & fidem per eos propagari ac custodiri: fateri cogimur, meræ Dei misericordię esse quòd nõ sumus cõsumpti, quòd nõ defecerint miserationes eius: agnoscimus eius in præsenti misericordiam sic nobiscũ vt cum patribus nostris erat, quoniam in ęternũ misericordia eius: agnoscimus grãde mysteriũ, quòd scilicet quemadmodum ipsa sacramenta gratiæ, ita et doctrinã gratiæ ministrat ecclęsia, etiam per impios. Sicut verò ministrorum impietas non irritam facit promissionem sacramentis à Christo addictam, ita nec promissionem cathedræ Petri, siue pastori Ecclesiæ factam violât scelesta vita pastoris. Sed hæc interiecisse sufficiat, vt ad Bernardum veniamus.

Oportet, inquit, ad vestrum referri apostolatũ pericula quęque & scãdala emergẽtia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide cõtingunt. Dignũ namq; arbitror, ibi potissimum resarciri dãna fidei, vbi nõ possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando cõuersus cõfirma fratres tuos. Id quidem modò necessariũ. Tempus est vt vestrum agnoscatis, pater amãtissime, principatum, probetis zelum, ministeriũ honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra authoritate conteritis fidei cor-

Epist. 190 ad Innocentium Papam.

Luc. 22.

Lib. 2. de confideratione.

ruptores. Item alibi: Age, inquit: indagemus adhuc diligentiùs qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus pontifex. Tu princeps episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchizedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum pastores: sed tu tanto gloriosus, quanto & differentius vtrunq; præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi, vniuersi crediti: vni vnus. Nec modo ouiũ, sed et pastorum tu vnus omniũ pastor. Vnde id probem, quæris? Ex verbo domini. Cui enim non dico episcoporum, sed etiam apostolorum sic absolutè & indiscretè totæ cõmissæ sunt oues?

Ioan 21.

Si me amas, Petre, pasce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis aut regionis aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno pastore, secundùm illud:

Cant. 6.

Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate. Inde est quòd alij singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum.

Denique

Denique Iacobus, videbatur columna ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens. Hæc bernardus.

Græcos quoque audiamus: quo liquido pateat, quàm latinis conformiter in hac re docuerint. Basilius itaque epistola 25. Visum est, inquit, mihi cõsentaneum, vt scribatur episcopo Romæ, vt quę hic geruntur consideret, detque consilium: & quoniam difficile est, vt communi ac synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua autoritate in hac causa vsus viros eligat, ad ferendas quidem itineris molestias idoneos: verùm iuxtà ad hoc quoque accommodos, vt mansuetudine & facilitate ingenij eos qui distorti & obliqui apud nos sunt corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes, quæ in Arimino ad necessariam solutionem gestorum illic facta sunt.

Epist ad Athanasium

Item Chrysostomus. Animaduertis, inquit, quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & seipsum his duabus pollicitationibus filium esse Dei reuelat & ostendit. Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt ecclesia tot tãtisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet, hæc inquam, omnia quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & pater ad Hieremiã dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni Pater: hunc autem

Hom. 55. in Matt.

autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit. Idem ipſe in epiſtola ad Innocentium primum, per Innocentium irritari cupit, quæcunque contra ſe acta erant ab epiſcopis: ſciens vtique ipſum ſuper omnes autoritatem habere. Similiter Epiphanius: *Dominus, inquit, conſtituit Petrum primum apoſtolorum petram firmam, ſuper quam eccleſia dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduerſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hereſes & hæreſiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit clauem cælorum, & ſoluit in terra, & ligat in cælo, In hoc enim omnes quæſtiones ac ſubtilitates fidei inueniuntur. Et infra: Hic eſt qui audiuit ex ipſo: Petre, paſce agnos meos: cui concreditum eſt ouile: qui bene deduxit per virtutem Domini ſui· qui confitetur de carne: qui vere quæ patris ſunt denunciat filio : qui ſpiritum indicat & dignitatem ipſius in deitate: qui dextram porrexit Paulo & Barnabæ ſocietatis cum Iacobo & Ioanne, vt per teſtes ſtet omne verbum. Hæc ille, Theodoretus quoque· Athanaſius (ait) ſe contulit in Italiam. Nam Romano epiſcopo (paſcebat autem eam tum eccleſiam Iulius) præſcripſerant Euſebiani conpoſitas calumnias in Athanaſium. Iulius ergo eccleſiaſticam ſecutus legem, & ipſos Romæ adeſſe iuſsit & diem dixit diuo Athanaſio: qui cupide ſimul atque citatus fuit, accurrit: Fabulæ autem autores Romam venire neglexerunt, quod facile mendacia ſua deprehenſum iri

Vide eūdē hom. 18. & 87. in Ioan. Epiſ. hāc recitat Nicephorus lib. 13. ca. 19. 31. & 32.

* In Ancoratu.

Idem.

Lib 2 hiſtoriæ eccleſ. ca 4

ſum iri cernerent.

In ſynodo Epheſina prima Cyrillus Alexandrinus vices geſsit Romani epiſcopi Cæleſtini: & ipſa ſynodus dicit, Neceſsitate compulſi ſumus ab ipſis canonibus, & ab ipſa epiſtola ſanctiſsimi patris noſtri & comminiſtri Cæleſtini epiſcopi eccleſiæ Romanæ, lachrymantes frequentius, ad triſtem hanc proceſsimus ſententiam etc.

Vide epiſtol ſynodi ad Celeſtinum inter opera Cyrilli

Vide actionem.1. ſynodi Calced.

*Synodus verò Chalcedonenſ. : Quoniam, inquit, ſecūdis exceſsib'.Dioſcorus priorem iniquitatē valde tranſcēdit (præſumpſit enim & excommunicationē dictare aduerſus ſanctiſs. & beatiſ. archiepiſcopum magnæ Romæ Leonem, inſuper etiam & multi libelli multis eius pleni iniquitatibus, contra eum in ſancto & magno concilio oblati ſunt, & ſemel, & ſecundo, & tertiò per Deo amantiſsimos epiſcopos regulariter vocatus, minimè voluit obedire, propria vtique conſcientia ſtimulatus: & hos, qui a diuerſis concilijs regulariter damnati ſunt, contra diuinas leges ſuſcepit) ideo ipſe contra ſe elicuit ſententiam, ſæpius eccleſiaſticos conculcans canones. Vnde ſanctiſs. & beatiſs. archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo, per nos & per præſentem ſanctam ſynodum, vna cum ter beatiſs. & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra & crepido catholicæ eccleſiæ, ille qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam epiſcopatus dignitate, quam etiam ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio.

Euagrius Scholaſticus cap.2. lib.3 primi hiſt. ſcholaſt.

* Acto.3.

Item in epiſtola ad Leonem: Et poſt hæc omnia, inquit

Eiuſdem.

synodi episco. ad Leonem. nia, inquit, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à saluatore commissa est, extendit insaniam. Et contra tuam quoque apostolicá sanctitatem, excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus ecclesiæ vnire festinas. Hęc synodus illa.

Ephes. 4. Ecce, recensuimus clarissima Ecclesiæ lumina, diuersis locis, diuersis temporibus christianam religionem illustrantia: de quibus Apostolus vere dicit, Ipse Christus dedit pastores et doctores, vt non simus paruuli fluctuantes, nec circunferamur omni vento doctrinę in astutia hominum. Per hos enim inducimur in Christi nauiculam, hoc est ecclesiam, Petro vicenauclero suo subiectam. Hæc nauicula, & si procellis iactetur impetatur flatibus spirituum immundorum. Christus tamen & ex ea docere dignatur, & cùm maximè tribulata fuerit eam visitare: imò & tum est in ea, & si dormire videatur. In ea tanquam Dei filius vero cultu adoratur. In ea docet cauere fermentum hæreticæ doctrinæ. In ea precibus suscitatur. Ex ea sedat omnem tempestatem. Ad eam ex hoc seculo turbido & nequam omnes pisces electos congregat, quos Pètrus ad littus æternæ quietis trahit. In hac nauicula permanentes etiam imperfectæ fidei homines increpat, vt sanet. In hac abolet omnem vanum timorem à cordibus suorum. Denique in hac nauicula dicit pastori Petro. Eris homines capiens: vt quotquot videlicet Christo capi cupiunt, à Pètro se capi sinant.

Mat. 14. Luc. 5. Mar. 6. Mat. 8. Luc. 5. Mat. 14. Mar. 8. Mat. 8. Luc. 5. Matt. 18. Luc. 5

Dissoluitur

Dissoluitur obiectio, quæ fieri solet ex verbis Hieremiæ. *Caput 5.*

SEd his iam dictis obijcias: Docere, pastores & doctores in Ecclesia semper esse duraturos, idem esse videtur cum eo quod impij dicunt apud Hieremiam: Non peribit lex à Sacerdote nec consilium à Sapiente, nec sermo à Propheta. Hier.18.

Respondemus Hieremiam referre sententias impiorum, pseudoprophetis & falsò sapientibus & impijs sacerdotibus adhærentium, contra veros prophetas et sapiẽtes atque pios sacerdotes. Iactabant se impij, dicentes: Dominus non permittit vt fallantur prophetæ nostri, qui dicunt non esse euertenda[illegible]erusalem: non permittet vt sacerdotes n[illegible] in Babylonem abducantur, vt legem ampliùs ex cathedra sua explanare non posint. Multi sunt Sapientes, qui optima consilia dare norunt vt non eueniat quod minatur Hieremias. a a a (inquit Hieremias) prophetæ dicunt eis, Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit dominus ad me, Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem & diuinationem fraudulentam & seductionem cordis sui prophetant vobis. Et (inquit scriptura) audiuit Phassur, filius Emmet sacerdos, qui cõstitutus erat princeps in domo Domini, Hieremiam prophetãtem sermones istos: & percusit Cap.14. Hier.10.

Phassur

Phassur Hieremiam prophetam, & misit eum in Neruum, quod erat in porta Beniamin superiori in domo Domini, Rursum cap. 38. dicũt principes regi, Rogamus vt occidatur homo iste (Hieremiam putant:) de industria enim dissoluit manus virorum etc. De his loquitur Hieremias: vt ex his quæ præcedunt & quæ sequuntur clarissimum est. Et dixerunt, inquit:

Cap. 18. Venite: & cogitemus contra Hieremiam cogitationes. Non enim præteribit lex à Sacerdote, neque consilium à Sapiente. nec sermo à Propheta. Venite, & percutiamus eum lingua, & nõ attendamus ad vniuersos sermones eius. Attende domine ad me, & audi vocem aduersariorum meorum. Alioquin, vt de Sacerdotibus contra Hieremiam d[illegible]bus & pseudoprophetis non sit sermo, [illegible]mè dici potest: Non peribit lex à sacerdote. Imò hoc ipsum dicit Hieremias cap. 33, Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum domus Israel. Et de Sacerdotibus & Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificium & cædat victimas omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, dicens: Hæc dicit dominus, Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo: & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo vt non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, Leuitę & Sacerdotes ministri mei. Sicut enumerari non possunt stellæ cœli, et metiri arenę maris, sic multiplicabo semẽ

Dauid

Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros eius. His verbis non obſcurè promiſerat dominus, quòd in veteri lege non defuturi eſſent Sacerdotes, donec adeſſet Chriſtus: donec inquam, adeſſet ille qui verus eſt Sacerdos. Quod certè completum fuiſſe, patet in patre Ioannis Baptiſtæ, qui Sacerdos erat, & in multa turba Sacerdotum, quæ in Actis ſcribitur obediſſe fidei.

Luce 1.

Act. 6.

Diſſoluitur obiectio facta ex verbis Ioannis Baptiſtæ: & oſtenditur promiſſio facta Petro, eſſe ſpiritalis reſpectu fidelium, non autem ſemper reſpectu paſtoris. *Caput. 6.*

SEcundo obijcitur. Dicere, eos q in cathedra Petri ſuccedunt fidē ſemper cōfirmaturos, nihil aliud eſſe videtur, quā ſi carnales homines (quales ſunt multi Petri ſucceſſores (dicant: Patrem habemus Petrū. igitur à nobis fides nō deficiet: ſicut dicebāt carnales filij Abrahā, Filij Abrahę ſumus, et patrē habemus Abrahā: Igitur promiſsio facta Abrahæ ad nos pertinet. Quam vanā fiduciam reijcit Ioannes Baptiſta, dicens, Ne dixeritis intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Ioan. 8.
Mat. 3.

Mat. 3.

Quia hoc argumentū ex promiſsione Abrahæ facta ſumitur, videndū eſt quænā ſit illa promiſsio vt ſciatur an ad carnales pertineat, necne. Duo igitur promiſſa ſunt quorum vnū carnale eſt, alterum

Aug. de ciuit. deī, li 16. c. 16

Genes.22 terum spirituale: illud terra Chanaan, hoc hæreditas cœlestis, quæ sub nomine benedictionis intelligitur, dum dictum est: Benedicentur in semine tuo omnes gentes.

Sic dum ei Christus promissus est, duo sunt ei promissa: alterum carnale, nempe quód Christus nasceretur corporaliter ex eius posteris: alterum spirituale, quód Christus esset saluator eius futurus, & omnium per fidem eum imitantium. Carnalis igitur illa promisio de terra Chanaan, & ipsa promisio Christi nasciturі, quatenus carnalis erat complexa est etiam carnales filios, & ipsis compleuit Deus promissum suum. Deut.9. Vnde ait scriptura: Ne dicas in corde tuo cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, Propter iustitiam meam introduxit me dominus vt terram hanc posiderem, cûm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris vt posideas terras earum, sed, quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt, & vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. Scito ergo quòd nō propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimā in possesionem, cum durisimę ceruicis sis populus. Memento, & ne obliuiscaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deū tuum in solitudine, & ex eo die quo egressus es ex Ægypto vsque ad locum istum semper aduersum Dominum contendisti. Similiter & ipsa Saluatoris

Genealogia,

Genealogia, ab Abraham ad ipsum vsque peruenit: videlicet per impios atque carnales, Achas, Ioram, Amon Ieconiam.. Ex quo tamen, non nisi caducam quandam et carnalem gloriam illi habent. Pertinuit igitur ad eos promissio Christi nascituri, & per eos completa est inquantum carnale quid erat, esse carne patrem siue auum Christi. Simili modo in promissione Petro facta: Super hanc Petram ædifiabo Ecclesiam meá, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; siue in benedictione ei cóllata, Pascę oues meas: Non deficiet fides tua, Et tu cõfirma fratres tuos: quiddam spirituale includitur, & quiddam carnale · spiritale quód Ecclesia per Petrum inuicta manebit in fide & pietate: quôd á Petro oues Christi spiritale pabulũ accipient, & in fide ac pietate stabilientur: Cuius promissi non sunt participes nisi filij spiritales Petri, qui fidem & pietatem eius imitantur. Carnale verò, ministerium & confirmatio fidei, doctrinæ bonæ traditio, & regimen ouium: quæ & bonus habere potest, & malus: sicut Apostolus testatur ad Philippenses 1. quosdá vere quidem annuntiasse euangelium, sed ex inuidia & contentione. Quemadmodum etiam in sacramentis omnibus ijs, qui cum pœnitentia & fide præparationeq; debita ad ea accedunt, promissa est gratia Spiritus sancti. & ex hac parte promissio non carnales, sed spiritales tantum Abrahę posteros complectitur. Promittitur etiam ipsis sacramenta ministrantibus, quód Deus ad eorum ministerium aderit pœnitentibus & creden-

Matt. 16.

Ioan. 21.

Luc. 22.

& credētibus. Et ex hac parte, respectu ipsorum ministrorū, carnalis est promissio, impios ministros cōcernēs æq̄ ac pios: ita vt similia sint, ministeriū sacramētorū & ministeriū doctrinæ fidei.

Et si enim promiserit, pontifici adesse in tradendis toti Ecclesiæ fide dogmatis, ob hoc tamen non promisit ei salutem vel aliquid quod eum spiritalem faciat: sed ea ex parte tantum spiritalis est hæc promissio, qua concernit eos qui per pontificis ministerium in fide confirmantur. Quarè si & ipse spiritalis sit filius Abrahæ, etiam respectu eius est spiritalis hæc promissio: non quia doctor & custos est doctrinæ religionis, sed quia fidelis est. Esse enim doctorem fidei habere spiritum se dirigentem ad alios rectè docendum, ijs quoque potest competere qui sunt mali, & doctrinę bonæ sua vita aduersantur. Si igitur Romanus pontifex vel quis alius intumescat ex ministerio, & dicat se successorem Petri esse, ideoque ad se pertinere promissionem factá Petro: Sedebis super sedes iudicans tribus Israel, nec se posse damnari à Deo: respondebitur ei rectè, Omnis arbor quę non facit fructum bonum, etiam si sit Petri successor, in ignem æternum mittetur: &, Ne velis dicere intra te: Petri sum successor, vel, Pater meus est Petrus: potens est enim Deus de pessimis hominibus & infimis facere Petri filios spiritales. Sic enim respondit Ioannes Pharisæis & Sadducæis, iactantibus se filios esse Abrahæ, & ob hoc, necesse esse Deum sibi benedicere, vtque iram eius non sentirent,

Matt. 19. Matt. 3. Ibidem.

ſentirent, ne falſa eſſet promiſsio Abrahæ facta: ſic, inquam, reſpondet Ioannes, Deum veracem eſſe in promiſsis, & vere benedicturum & liberaturum à morte æterna filios Abrahæ, qui opere & fide eum imitantur: quos ipſe ſibi parare poſſet etiam ex lapidibus, & in eis oſtendere ſe veracem in promiſsis: etiam ſi intereà Phariſæi & Sadducæi in ira Dei maneant. At ſi dixiſſent filij Iſrael; Deus dabit nobis terram Chanaan, quia eam promiſit Abrahę: Chriſtus naſcetur ex ſtirpe Dauid, etiam ſi filij Dauid impij ſint: non potuiſſent reprehendi. Sic etiá, ſi dicamus: Deus aderit Cathedrę Petri, & per eam cuſtodiet ſuos à doctrina praua: veritatem dicimus, & ſcripturas ſequimur. Hoc eſt quo maximè fallunt hęretici rudes: quod à miniſterio nō diſtinguunt vitam & opera, ſeu bona ſeu mala: eaſque ſcripturas quę cōtra malá vitá paſtorū loquūtur, cōtra miniſteriū detorquent, Certè Mōhemius rectè diſtinguit in quadam parte, docēs miniſterium verbi & ſacramentorum impietate miniſtri non vitiari. [Donatiſtæ, inquit, olim contendebant, euangelium nec ſacramentum vllum eſſe efficax, ſi miniſtri ipſi ſint mali. Verum refutatur hic error ab Auguſtino in multis voluminibus. Refellitur et à Nazianzeno, qui vtitur hac ſimilitudine: Eadē eſt figura ſigilli ſiue aureo, ſiue ferreo annullo inſculpta ſit. Ita idem eſt miniſterium, ſiue boni, ſiue mali teneant. Nam incerta fieret fides, ſi vis Euangelij, & Sacramentorum penderet ex dignitate miniſtri. Quare ſi mali & hypocritæ miniſterium Eccleſiæ legiti-

ma vocatione susceperint, Sacramenta tamen & verbum Dei, propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, quia ministri sunt vice Christi, non repræsentant suam personã.] In eo autem fallitur, quòd non agnoscat supremũ ministeriũ in ecclesia, cui promiserit Deus perpetuò assistere: nõ modò in sacramẽtis verũ etiam in doctrina fidei, vt ea videlicet nunq̃ ab eo ministerio deficiat. Nam statim patrẽ sic interrogantẽ inducit: [Quid cẽsendũ est, cùm ministri ecclesiæ falsam doctrinã defendũt, & stabiliũt idololatriã?] Respondet fili' [Immutatur tũ ipsum docendi munus. Nam Ecclesia fundatã est super doctrinam Apostolorũ & Vatum, ipso Christo summo angulari lapide. Illa igitur doctrina si tollatur, quomodo amplius cõstabit ędificium] Hic interrogandum erat consequẽter: Quid si quidã ex scripturis dicant, Deum esse timendum vt iudicem: alij autẽ ex ijsdem scripturis oppositum affirment: quid, inquã, tum fideli refugij, præsertim illi qui in scripturis exercitat' non sit? Quem tunc consulet? Dic, Monhemi, quid apparet? Cur fidelis potius tibi auscultabit, dicenti, Deum non esse timendum vt iudicem, quam alteri asserẽti eum timẽdum vt iudicẽ? Similiter Donatistis & Catholicis dissentiẽtibus super baptismate ab hæreticis administrato, vtri parti credet? An dubiũ? ad scripturas remittes, quarum sententia inquiritur, vtraque parte iactante pro se facere scripturas? an verò quemlibet docebis vti seipso magistro, & vnumquenque de omnibus fidei quæstionibus iudicem

iudicem constitues? Nos certè hic ex scripturis proferimus Christi clarum promissum, super Petrum tam firmiter ædificandam Ecclesiam, vt nunquã præualituræ sint inferorum portæ: ideoque, eius successorem, à tota Ecclesia vsque in hunc diem tanquam pastorem totius dominici gregis agnitum, consulimus: & quicquid ille nobis præscripserit, suscipim᾽, in Christi promisso conquiescẽtes. Tu dũ nihil certi tradis, exponis plebẽ Domini omni vento doctrinæ, omni astutiæ hominum, vt circumueniatur à quolibet, prout hæretica tempestas impulerit.

Mat. 16.

Ephes. 4.

Diluitur argumentum ex Caipha et Anna petitum: et ostenditur quæ sit differentia et conuenientia Cathedræ Moysi et Cathedræ Petri. *Cap. 7.*

OBijciat quis tertiò. Annas & Caiphas sederunt in cathedra Moysi, legitime succedentes Aaroni: & tamen docuerunt et definierunt Christum non esse Dei filium, sed eum blasphemare Deũ, dum se diceret Dei filium. Igitur & Romani pontifices docent & definiunt fortasis, quæ Christi euangelio sunt contraria, nõ obstante promisione Petro facta. Hoc argumento moueri solet vulgus, quod fide solidatum non est. Solet enim ex quadam externa factorum similitudine, statim de diuersissimis tanquam de vna re pronunciare: vt cùm hæreticos conburi cernit, sicut martyres cõbusti sunt, mox reputat eos matyres: quasi itidem Christus non esset latro iudicandus, vtpote cum latronibus crucifixus: si pœna inspiciatur, & non

Aug. c. 7. lib. 1 cōtra epist. Parme. & ad id Psal. 145. Qui facit iudicium.

causa. Sic olim Donatistæ, quia ob suas hæreses persecutionem patiebantur, se martyribus, qui ob iustitiam persecutionem passi erant, coæquabant. Sic cùm audiunt, Caipham pōtificē Iudæorū Christum cōdemnasse tanquam blasphemum, & pontificem Romanum Lutherum condemnare, imaginantur Romanum pontificem esse Caipham; Lutherum Christum. At qui non externas rerum similitudines, sed inrernas differentias inspiciunt, qui non rerum species, sed causas ponderant, qui sciunt quid simile, quid dissimile sit in rebus: tam futilibus argumentis non mouentur. Videamus igitur quanta sit differentia inter impium Caipham dicentem Christum blasphemasse: & pontificem præscribentem toti Ecclesiæ quid credendum sit: Item, quomodo vtraque cathedra, & Moysi & Petri differat. Hæc nempe differentia est, quod Dominus prędixerat clarissime in scripturis, pōtificatum Iudæorum auferēdum, sicut & eorum temporale regnum & totam illam Moysi ministrationem mutandam, atque post aduentum suum prælatos cum populo Iudaico excęcãdos.

Esa. 19.

Claudet (ait Esaias) oculos vestros: prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet, Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, dicent. lege istum, et respondebit, non possum, signatus est enim Et dabitur liber nesciēti literas, diceturq; ei lege, & respondebit, nescio literas: & dixit Dominus, Eo quód appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me: cor

autem

autem eius longè est à me: & timuerunt me mãdato hominum, & doctrinis: ideo ecce ego addam, vt admirationẽ faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia a sapiẽtibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Hęc verba Christus de Pharisęis & Scribis dicit esse prædicta, eo quod tunc cõpleri inciperent. De excæcatione populi est illud Esaię ab Euangelistis quatuor, & a Paulo sępius citatũ: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. At in euãgelio hãc dat promissionem: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: & Petro pollicitus est se adeò firmiter super eum ædificaturum Ecclesiam, vt nunquam portę inferi ei præualeant: & pro eo orauit vt nunquam deficiat fides eius, sed vsque ad finem confirmet fratres suos. Promisit dare doctores & pastores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, donec occurramus omnes in vnitatem fidei. Quapropter dubitare non licet, quin politia hæc a Christo instituta, immutabilis sit permansura vsque ad diem iudicij. Porro, tempore Christi iam cœperat Mosaica administratio mutari. Lex enim & prophetæ, vsque ad Ioannem prophetauerunt. Ex eo regnum Dei euangelizatum est, & Christus verus pontifex manifestatus. Sicut igitur ad Herode non legitimé,

Matt. 15. Esa 6. Mat. 13. Mar 4. Luc. 8. Joan. 12. Act. 28. Rom. 11. Matt. 28. Matt. 16. Luc. 22. Ephe. 4. Mat. 11. Luc. 16.

gitimè,ſed vi occupabatur regnum, vt ſciretur verus rex aduenisse: ita violentia regali, non legitima ſucceſsione, Aaroni ſucceſſerat Caiphas, vt etiam verus pontifex iá adeſſe ſciretur. Quanquam ergo prædixiſſet Deus, ſe illud ſacerdotium aboliturum. & iam tempus aduenire inciperet quo id fieri deberet, nihilominus, vt doceret nos a paſtoribus noſtris non deficere, nec ſchiſmatum conſilia excogitare, nec noua conuenticula ſtatim inſtituere: etiam illi Sacerdotio & Cathedræ Moyſi affuit, nec contemni permiſit, donec toti mundo patefeciſſet eá ſublatá eſſe è medio, aliáque erectam: Donec ſedem ſacerdotij illius occuparent (teſte Luca) Sadducæi, quos in præcipuo articulo fidei errare toti populo conſtabat, & nouam cathedram haberet Petrus, clariſsimis ſignis docens contrarium articulum, reſurrectionis videlicet futuræ: Donec abominatio deſolatoria, hoc eſt, ſeditioſi, diuinitatis irriſores occuparent templum. De quibus Daniel & Ioſephus. Et vt tribus verbis rem abſoluam: Ipſe Chriſtus vult vt Scribæ & Phariſæi, ſedétes in Cathedra Moyſi audiantur. Dicit ab eis auferendam vineam & Dei regnum: nondum vtique ablatum inſinuans. Quocirca, etiam ſi probarent hæretici, in ſcripturis prędictum eſſe, ſedem Apoſtolicam abolendam regimenque Eccleſiæ mutandum, (cuius contrarium apertè pronuntiat ſcriptura) adhuc deberemus parere domino ſaluatori, mandáti vt audiamus ſedentem in cathedra Petri, donec euidenter cõſtaret Cathedram Petri à Chriſto eſſe ſublatam.

Matt 23. Matt. 8. Act. 5. Matt. 22. Act. 5. Matt. 24. Danie. 9. Lib. 5. belli Iudaici. cap. 2. Matt. 13. Matt 21.

Videamus igitur quomodo cum verbo Christi: Super cathedram Moysi sederunt Scribę & Pharisæi. omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite: cōsistat id quod Ioannes narrat, Iam cōspirauerāt Iudæi vt si quis cōfiteretur eū esse Christū, extra Synagogā fieret. Manifestū enim est, impio illi decreto nō fuisse parēdū. Ea igitur mādat dominus ex dictis Scribarū & Pharisæorū seruare & facere, quæ ex Moyse et prophetis clarè prolata prædicant, & quæ circa ambiguas quæstiones legis exortas legitimo iudicio summus sacerdos definierit. In his enim sacerdotem summum audiēdum manifestè præcipit Moyses At vt ea seruentur, quæ ipsi nulla veritatis discussione siue forma iudicij, aut seruata quidem forma iudicij, sed contra apertissima religionis dogmata, aut ex aperto & euidenti contra aliquem odio siue inuidia decernunt, nullo modo pręcipit Christus. Notum est enim, tales sententias, etiam in ciuilibus sæpe esse iniquas. Dum igitur prohibuerunt ne quis cōfiteretur Iesum esse Christum absque discussione veritatis apertum dogma ex aperto odio damnarunt. Quòd autem formam iudicij non seruàrint, nec veritatem serio discusserint: ex eorum conciliabulis, quæ in euangelio describuntur, est manifestum. Conuenerant ex omni castello Iudeæ & Galileæ & ex Hierusalem vna dierum legis doctores, & virtus domini erat ad sanādum eos. Murmurant in corde suo contra dominum, dicentes: Hic Blasphemat. Sed non conueniunt vt hoc verbum discutiant ex scripturis. Mussitant &

Matt. 23.
Ioan 9.
Deut. 17.
Ioan 9.
Luc. 5.
Matt 3.

tant & dicũt Christum habere Beelzebub. Improperant ei quòd Samaritanus sit dæmoniumque habeat. Bis volunt eum lapidare tanquam blasphemum, quòd se Deum dixisset: sed nullá ex scripturis vel Patribus video ab eis ea de re datum definitionem. Aiunt se scire Iesum esse peccatorẽ, sed vbi de hac re iudicium? Alibi describitur quoddam conuenticulum. vbi nonnulli iactant, populum ex ignorantia legis credere in Christum: sed à Nicodemo ex lege refutatur propriũ iudicium. Coegerunt semel cõcilium, in quo statuerunt eum interficere. & iterum aliud, in quo proposuerunt eum dolo tenere & occidere. tertium quoque, in quo aduersus Iesum captum quærebant falsum testimonium, vt eum morti traderent: in quo etiam furibundus scissa contra legem veste clamat Caiphas: Blasphemauit. sed nec ibi vllam audio dogmatis discusionem: nullam audio post allegatam legem & prophetas & Rabbinos definitionem quòd non esset Christus. Similis igitur conspiratio intelligenda est fuisse dum ferretur hoc impium decretum, vt extra synagògam pelleretur qui Iesum diceret esse Christum.

Ioan. 8. Ioan. 10. Ioan. 9. Ioan. 7. Ioan. 11. Matt. 26.

Secundó. Manifestißimum erat, & ex scripturis, & Ioannis testimonio, & Christi miraculis, Iesum esse verum Meßiá: vsqueadeo, vt etiá illi ipsi qui eum occiderunt, hoc vtcunq; iudicarẽt, dicẽtes, Hic est hæres: venite, occidamus eũ. Vnde etiam admodũ eos cõturbauit forma tituli: Hic est rex Iudæorum. Imò nõ titulus eis erat timori, sed testimoniũ propriæ conscientiæ, ex legis &

Matt. 21. Matt 24.

legis & prophetarum sciētia ortū: quo vel inuiti iudicabāt Christū esse regē Messiā. Vnde etiā, quod res erat, putarunt eum resurrecturum: aliquousq;, licet inuiti, verbis eius credētes. Vnde notāter Ioānes describit tantū pōtifices doluisse de titulo: & Sacerdotes et Phariseos solos sepulchri custodiendi fuisse solicitos dicit Matthæus: nulla seniorū siue magistratus ciuilis mētione facta: quia ecclesiastici meliùs scripturas intelligebāt de Messia loquētes q̃ laici. Manifesta itē erat doctrina scripturæ de honorādis & non maledicēdis parētibus, de nō peierādo nec mētiēdo, de inimico in necessitate cōstituto iuuādo, deque multis similibus. quibus cū cōtraria docere Pharisæi & Scribæ, absq; vlla præuia legitima discussione inciperēt, dominus discipulos suos, vt a fermēto doctrinæ eorū cauerēt, monuit. Recte vero doctrinā eorū appellauit fermentū quia nōdū tūc occupauerāt errores illi populū vt doctrina vera ei esset obscurata. nōdum fermentatū erat totū, et si initia sequuturę cæcitatis populi Iudaici iā p Phariseos nōnullos essēt posita. Ex cathedra Moysi adhuc contra hos errores manifestos veritas aperiebatur. Prædicabatur eni Moses in Synagogis per singula sabbata. Absit vt omnes Pharisæos & Scribas putem' fouisse doctrinam periurij, illusionis parētū odij inimicorū. Nicodem' Phariseus erat. Gamaliel, scriba. et ille scriba, q rectè de primis mādatis legis respōdit, laudatur a dño tanq̃ ꝓpinquus Dei regno. Tertiò Omnibus constabat tātûm ex inuidia eos cōtra Christum conspirasse: vsqueadeo vt & Pilatus, homo gen-

Ioan. 19.
Matt. 27.
Matt. 15.
Matt. 23.
Matt. 5.
Matt. 16.
Act. 15.
Mar. 12.

mo gentilis, religionis Iudaicæ contẽptor, ſciuerit quod per inuidiã tradidiſſent illũ. Non igitur ꝓhibitio cõfeſsionis Christi habenda erat inter ea quæ ex cathedra docebantur. Vnde nõ inuenimus euãgelium docere, in tẽplo vel ſynagogis prædicatum fuiſſe aute Chriſti reſurrectionẽ, Ieſum non eſſe Chriſtum. imô inuenimus multos principes hoc decreto nõ obſtante nihilominus credidiſſe in Chriſtũ, nec vllã huius decerti inuenimus ante eiuſdem reſurrectionẽ executionem. Nam & Martha atque ſoror eius Maria & turba quæ cum ille aſino inſidens veniret Hieroſolimã eum clamauerat eſſe regem Iſrael, quòdque cum eo veniret regnum patris eorum Dauid: ſatis aperte confitebantur eum eſſe Chriſtum, nec tamen eos extra ſynagogam eiectos legimus, Is autem quem Chriſtus liberauerat â natali cæcitate, eiectus eſt ab eis foras, non quia violauerat hoc decretum: dixerat enim eum eſſe prophetam atque Dei cultorem & â Deo: non tamen, eſſe Chriſtum. Audi quid impij in cathedra docebant, Chriſtum nimirum in Betheleem Iudæ naſciturum ex ſtirpe Dauid: ante eum vẽturum Heliam. Prædicabant Moſen & voces prophetarũ, quæ per omne Sabbathum legebantur: quibus ſi ipſimet credidiſſent, credidiſſent & Chriſto, vti apud Ioannem dicit Chriſtus. Denique vt cognoſcamus quam verax ſit Deus in promiſsis ſuis, quibus cathedram Moſi vſque ad Chriſtum cuſtodire ſtatuerat, audiamus quæſo mirabile conſilium miſericordiæ Dei. Dum pontifices & Phariſæi, qui Cathedram Moſi

Matt.17. Matth.2. Matt.17. Act.15. Ioan.5.

occupa-

occupabant, & ex quorum ore lex requirenda erat à populo, odio immani contra Christum concilium coegissent, & dixissent: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eũ sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem: respondit Caiphas, Vos nescitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Habes quid de Iesu Caiphas pronunciarit in eo cõcilio: vbi saltem species erat atq; prætextus solicitudinis pro bono communi, ne Romani tollerent locum & gentem. Certè non definijt quòd non esset Christus, sed quòd moriturus esset pro gente ne tota interiret: hoc est, quòd expleturus esset officium illud, quod soli Christo tribuerant Prophetæ & Moyses. Et licet ipse Caiphas verba spiritus sancti in corde suo data in falsum sensum detorquens magis voluerit Christo maledicere quàm benedicere, tamen Spiritus sanctus, in cuius manu sunt vniuscuiusque sermones & corda, per os Caiphæ prophetauit quòd Iesus esset tanq̃ mũdi redẽptor moriturus: Sicut quõdam per Balaam, volentẽ maledicere populo Israel, eidem populo benedixit, quia populũ Isarael dilexit (ait Moyses) & vt Israel cognosceret iustitias dñi (ait Micheas) hoc est fidelitatẽ dñi in promissis. Sic Ioãnes dicit Caipham prophetasse quia põtifex erat anni illi', quasi diceret, Quia dñs verà loqui voluit per eũ qui cathedrã Moysi occupabat, ideo Caiphas ꝓphetauit quod Iesus moritur' erat ꝓ Iudaico populo, & non

Ioan. 11.
Num 22.
Deut 23.
Mich. 6.
Ioan. 11.

& nõ tantum pro illo, sed etiá vt totũ genus filiorũ dei, qui fide vẽturi Christi in vnius Dei cultũ cõgregati nõ erant, sed per multos errores cultúsq; falsorũ deorũ dispersi, nulla sui parte periret, sed totum à sui dispersione, ad vnũ Deum & vnum pastorem Christum in vnã Ecclesiá congregaretur. Agitẽt argutuli Ioannẽ Apostolũ & rusticæ simplicitati deputent, quòd pontificatui Caiphæ tribuat prophetiam præcipui officij Christi. Nobis animus est, Apostolicam ruditatẽ cœlestẽ sapientiam credere. Et quia Christi verbum excidere nequit, audemus dicere, Spiritum S. nos docere etiam per impiũ põtificẽ : scientes quòd si Christus Moysi cathedrã custodiuit inter tot sceleratos, multo magis Petri cathedram proteget, vt ex ea in Ecclesiam non emánet nisi Petri fides: idque quia Ecclesiam suam diligit, & verax est in promissis suis. Ex dictis manifestum est, nõ hoc requiri ad veritatẽ diuinæ promissionis, qua promisit, per Mosi cathedram vsque ad Christum, & deinde per Petri cathedrá vsq; ad iudiciũ cõfirmare fideles, vt etiam quæ manifestissima sunt à cathedra conuelli possint. & si qui forte, nomen cathedræ suæ stultitiæ prætexentes, hoc conarẽtur : Dominus incautos præmuniens, cathedram dixit tunc consulendam, cùm difficile ambiguum iudicium esse perspicitur.

Deut. 17.

Secundô : neque hoc requiritur ad eiusdem promissionis veritatem, vt mox verbum Dei sit, quod aliqui ex aperto odio alio ve prauo affectu præscripserint super exorta controuersia absque seria veritatis examinatione. Non

ne. Non hoc habet catholica traditio, pro prauo suo affectu posse Petri successorem quidlibet definire: sed hoc dicunt Catholici, quòd cum difficilis quæstio fuerit in religione exorta, totam rempub. christianam concernens, ad eum sit referenda, qui toti Ecclesiæ præfectus est, vt ab illo tradatur, quod vniuersa Ecclesia sequi debeat. Si enim ad alios essent huiusmodi quęstiones referendæ, vel ab aliis diiudicandæ: cùm vnus alteri non subsit, tot efficerentur doctrinæ in religione, quot prouinciæ. Et quid dico: Quot prouinciæ: imò quot capita, tot essent sententiæ de religione: sicut, pró dolor hodie videmus, cum semel data est libertas ab hæreticis nō sequendi vnum à Christo positum pastorem. Ipse Apostolus Paulus, tametsi ab ipso Christo euangelium edoctus, nihilominùs cum Petro & Ioanne ac Iacobo contulit, vt constaret omnibus, eum a capite Ecclesiæ & reliquis columnis non dissentire. At hæretici, omnibus modis cauent, ne de sua doctrina examen fiat ne Ecclesiæ pastori iudicium deferatur: quia sciunt eam non a Christo sibi traditam, non ab antiqua Ecclesia susceptam, sed a se adinuentam: ideoque a pastore Ecclesiæ vt notham reijciendam fore, si ei consideranda proponeretur. Cùm verô ad primum pastorem aliqua controuersia circa dogma religionis prolata fuerit, non pro sui capitis phantasia statim pronunciare, sed & aliorum pastorum iudicium audire debet, siue eos simul conuocando, siue vnoquoque eorū in loco suo manente eorū senten-

Galat. 2. Aug. c. 4. li. 28. cōtra Faustum.

ſententias literis tranſmiſſas cognoſcendo: pręcipueque ad præceſſores ſuos attendere, quid illi vel tradiderint, vel de exorta quæſtione definierint. Quinimò vnitatis fiducia fit, vt ſi in aliquo ipſe primus paſtor vt homo errauerit circa fidei doctrinam, ab alijs paſtoribus arguatur, errorque monſtretur: quomodo Paulus Apoſtolum Petrum, dum reprehenſibilis eſſet, redarguit. Sicque fit, vt error hominis illius qui Petri cathedrā tenet, promiſsione eidē cathedræ præſtita emendetur, Sit in cathedra impius: ſit infidelis; ſicut erant in Moyſi cathedra ipſi Moyſi non credentes: cœleſtis magiſter Chriſtus in cathedra vnitatis doctrinam poſuit veritatis.

Galat.2.

Sedem apoſtolicam non facilé aut leuiter hominem condemnare hæreſeos. Cap.8.

IMò tanta eſt Eccleſiæ fiducia in hac domini gratia, qua ſe promiſit per Petrum fideles cōfirmaturum: vt etiam ſedes Apoſtolica, vbi rectiſsime definierit aliquid ab omnibus ſuſcipiendum, toleret eos qui ſuæ definitioni vel nondum intellectæ, aut nondum vt legitimæ patefactæ. per carnalē caliginem (more ſancti martyris Cypriani) probabilibus cauſis citra pertinaciam & aliter ſentientium condemnatiónē aduerſantur: quia nouit Chriſti promiſſum eſſe ſtabile, & tales oppoſitiones proficere ad maiorem veritatis elucidationem. At cùm tot modis veritatis alicuius dogmatis a tota Eccleſia fide ſuſcepti fuerit patefacta, vt clareat, diabolica induratum eſſe malitia qui reſiſtere elegerit:

Luc.22.

gerit:

gerit: tunc tãquam hæreticum eijcit foras: tunc tanquam qui subuersus est penitus, deuitat: non tam pro eius correctione laborans, quam ne eius contagio inficiantur cæteri. Posteaquam, inquit Augustinus, Donatistæ furiosa pertinacia vsque ad dissensionem sacrilegam contra totum orbem christianum contentione obstinatissima perdurarunt, atque innotuit bonis fidelibus quos a Ceciliano alienauerat falsa criminatio, viderunt se, si in illa communione persisterent, non iam de quodam homine, vel de quibusdam hominibus, sed de Ecclesia terrarum orbe diffusa prauum habere iudicium, & maluerunt Christi euangelio, quam collegarum consilio credere. Itaque illis relictis, mox ad catholicam pacem multi & episcopi, & clerici, & populi redierunt: quod & antequam facerent, in tritico deputabantur. Tunc enim non faciebant cùm aduersus homines male sibi a collegis insinuatos non aduersus Ecclesiam Dei, quæ cunctis gentibus crescit, illa eorum contradictio tenebatur. Itaque & in Africa triticum quod filius hominis seminauerat triticum mansit: ex illo vsque adhuc creuit, & crescit & deinceps vsque ad messem fructificabit & crescet, sicut in omni mundo. Nonnulli etiam bonæ voluntatis, per carnalem caliginem, etiam post confirmatum contra Ecclesiam Dei malignorum furorem, in illa dissensione diutiùs errauerunt, tanquam si adhuc mollia cõcul̄carētur frumenta, & radice viua herbæ vigor attereretur: etiam ipsa tamen frumenta sua nouerat Deus, quamuis vt reuiuiscerent

Tit. 3.

Cap. vlt. li de vnitate Ecclesię.

cerent arguenda & increpanda. Non enim eo
Matt.16. modo dictum est Petro: Redi post me Satana:
Ioan.6. quomodo dictum est de Iuda, Vnus ex vobis diabolus est. Quidam quoque & apertissimæ veritati malo studio contradixerunt: illi verò eradicati vel præcisi erant, sed non permanentes in infidelitate, sicut de quibusdam ramis fractis
Rom 11: Apostolus dicit, manu diuina replantati, aut iterum inserti sunt. Tunc enim quisque infructuosus & non à radice præcisus est, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum
Galat.5. est: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebũt Sed cũ pro ipsis operib^9 etiã veritati apertissimæ qua redarguitur, resistere cœperit. tunc præciditur. Expende Augustinum dicere, eos non esse penitus præcisos & eradicatos, qui errant in ijs rebus, in quibus quid ecclesia catholica teneat, necdum clarè constat. imò nec illos, qui quum veritas patefacta fuerit, carnali quadã caligine putant eam necdum esse patefactam, bona voluntate cupientes recipere eam, cum sibi patefacta fuit.

Hanc Augustini modestiam, etiam in Apostolica sede inuenias. Audi quàm prudenter & misericorditer: audi quomodo agat Apostolica sedes. Audi quàm nihil habeat commune cum inuidia, malitia, & cæco furore Caiphę. Leo Papa 1. sic scribit ad Theodoretum, Nestorianæ hęreseos temerarium magis quàm
Epist.63. pertinacem defensorem: Remeantibus ad nos fratribus & cõsacerdotibus nostris, quos ad sanctum concilium sedes beati Petri direxit, agno-

uimus

uimus dilectionem tuam, superno adiutorio nobiscum, tam Nestorianæ impietatis, quàm Eutychianæ vesaniæ extitisse victricem. Vnde gloriamur in domino, cum propheta canentes: Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram: qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro priùs ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu: vt verè à se prodisse ostenderit, quod priùs à prima omnium sede formatum, totius christiani orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque capiti membra concordent. in quo amplior nobis in hac re sit gaudendi materia, dum & tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros sæuius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ab ea quam cæteris omnium dominus statuit præsidere, consensus assentatio videretur, aut alia quælibet subrepere posset aduersa suspitio, inuenti prius sunt qui de iudicijs nostris ambigerent. Et dum nonnulli ad dissensiones incitati ab authore contradictionis ad insana bella prosiliunt, ad maius bonum, malò eius, authore totius bonitatis dispensante, peruentum est. Dulciùs siquidem munera gratiæ diuinę proueniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Et minus bonũ videri solet pax continuata per otium, quam reddita post laborem. Ipsa quoque veritas & clariùs renitescit, & fortius retinetur, dum quæ fides priùs docuerit, hæc posteà examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officij meritum splen-

Psal.123.

descit, vbi sic summorum seruatur autoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exercendi fiducia, vt vincatur aduersitas, ne quod per se probatur reprobum, silentij præiudicio videatur oppressum. Et infrà: Licet, inquit, his tua fraternitas, solido cibo firmata, indigere minimè videatur, tamen vt quod nostri loci est impleamus circa vocem dicentis Apostoli: Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? hoc præcipue præsenti occasione credimus admonendum, frater charissime, vt quotiescunque diuina gratia administrâte, illos qui foris sunt, fonte doctrinæ aut submergimus aut purgamus, in nullo ab illis, quas Spiritus sancti diuinitas in Calcedonensi concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter vtrunque hostem nouellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela libremus: non iam (quod absit) tâquam de dubijs disceptantes, sed autoritate sua, quæ bene definita sunt, adstruentes, quum & in Apostolicæ sedis epistola, vniuersali sanctæ synodi assensu firmata, tanta diuinæ autoritatis testimonia nouerimus esse congesta, vt nullus queat vlteriùs dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit: quum synodalia gesta, vel quibus primum definitio fidei legitur esse formata, vel qb⁹ præfatæ literę apostolicæ sedis, etiã tuę fraternitatis studio de-

Idem.

1. Cor 11.

dio de-

dio defensæ sunt, & maxime pijssimos principes totius concilij allocutio, tot sic præcedentium patrum testimonijs roborata, vt qnanuis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non iam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, va leant suadere. Expendantur verba hæc: & quomodo quidem per beati Petri sedem promissa sua compleat dominus, Deinde verò, quàm solide soleat à sede apostolica tradi religionis doctrina, ex scripturis scilicet, & precedentium patrum testimonijs. Certe ex his credo satis esse perspicuum, quam inique comparetur successoris Apostoli Petri matura definitio in materia religionis, cum blasphema excæcati Caiphæ criminatione,

Audi & longe posteriorem pontificem Alexandrum 3. sic scribentem: Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Et infra: Qualitatem negotij pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas. Quia patiēter sustinebim', si non feceris quod praua nobis fuerit insinuatione suggestū.

Cap. Si quando: de rescriptis, lib. 1. decretaliū.

Ostenditur rex vel princeps, suæ ditioni caput religionis esse non posse. *Caput 9.*

PRodijt a discipulo quodam Monhemij libellus carmine descriptus, ex Vergilij Æneide & Prudentij psychomachia hæretice consarcinatus, filioque illustrissimi Ducis Cli-

uenſis corrumpendo deſtinatus. In quo his verbis adulator Ducem alloquitur: [Summe pater patriæ, tu noſtri paſtor ouilis.] Vbi ſanè ſermonem eſſe de eccleſiaſtico regimine, manifeſtum eſt ex præcedentibus & ſequentibus. Sed nouit prudens lector, quòd (ſicut ſupra quoque diximus) ſi eccleſiæ Cliuenſis caput & gubernator religionis ſit ipſe Dux, etiam & reges in ſuis regnis, & alij Duces ſuis in locis erunt itidem capita religionis. Cenſentibus itaque iam diuerſis regibus ac ducibus de religione, accidet, quod eſt contra naturam & Apoſtolum: vt mulier docere velit (dum videlicet, iure hęreditario ipſa in regnum ſucceſſerit) ſicut in Anglia iam vſuuenit. Imò puer, in cunis adhuc iacens, caput efficietur religionis, vbi patri morienti in regnum ſuccedet: & tam multiplex erit fides ac religio, totque ſchiſmata, quot ducatus et regna fuerint. Aliud enim Duci Cliuenſi fortaſſe placeat, aliud Emdenſi, aliud VVirtenbergenſi, aliud regi Franciæ: Denique aliud alij ſemper pro capite ſuo. Siquidem non erit, qui propter alterum cui nō ſubſit, a ſua declinabit ſententia. Vbi igitur eſt illud Apoſtoli: Vna fides, Item: Non ſint in vobis ſchiſmata? vbi denique oratio Domini: Omnes qui credunt, vnum ſint? At ſi exemplo Pauli Apoſtoli ad Petrum referentis ſuum euangelium, ad ſucceſſorem Petri omnia quę religionis ſunt deferamus: in toto orbe vna fulgebit fides, vnus ſpiritus, efficiemurque etiam qui diuerſiſsimorum ſecundum ciuilia & externa iura regnorū ſumus, vnū corpus in Chriſto:

1. Tim. 2

Epheſ. 4.
1. Cor. 1.
Ioan. 17.
Galat. 2.

& non

& non folùm vôce, fed & opere confitebimur ecclefiá effe catholicá, hoc eft, nõ vno regno vel ducatu conclufam, fed per quælibet loca difperfam. Confitebimur opere fanctorum communionem, hoc eft, vnam fpiritalem concordiam in fide & participio omnium orationum & bonorum operum in omnibus membris corporis ecclefiæ. Quòd fi fit qui putet aliquid tradi in Ecclefia ex hominum adinuẽtione: ficut tradebant Pharifæi inimicum odiendum, periurium per templum nihil effe, parentes ob facrificia negligendos: fi quid, inquá, exiftimet tradi repugnans fcripturis veterique ecclefiæ, id proponat, & refpondebitur ei: & oftẽdetur aut ipfemet errare, & culpare quod inculpabile eft, aut id non pertinere ad religionem, nec ita ab ecclefia fufceptum quafi ad eam pertineat, fed quorundam vel dormitanti cura vel abufu irrepfiffe.

Matt. 5.
Matt. 23.
Matt. 15.

Diffoluitur argumentum ex erroribus Pontifici impofitis petitum: et explicatur Chrifti promiffio, Non deficiet fides tua. *Caput.* 10

DEnique fic quidam argumentantur: Petrus Apoftolus, etiam poft miffum de cœlo Spiritum fanctum, errauit in præcipua parte euangelicæ doctrinæ: credens fcilicet Gentibus non effe annunciandum euangelium, & fefé adhuc legalibus cæremonijs de difcernendo inter cibos obligatum; quarè & cœlefti vifione contrarium eft edoctus. Similiter quidam fummi Pontifices leguntur a quibufdam confulti refpondiffe quędam, quę velut

Act. 10.

falsa ab eorum successoribus sunt reprobata : vt Honorius Monothelitarum hæresim amplexus est, & epistola confirmauit. Alij pontifices docuerunt, matrimonium esse quod quis contrahit & consummat viuente adhuc priore vxore cum qua rem non habuerat: vt habetur in Decretalibus, capitulo : Licet, Titulo de sponsa duorum. Item Cœlestinus docuit, fidelium matrimonium per alterius hæresim posse dissolui : vti legitur capitulo, Quanto : de diuortijs. Atque ita clarum est, non obstante Christi promisso Petrum & pontifices errare in doctrina religionis. Quòd si ipse dux quandoque cæcus sit, quomodò alios ab errore liberabit? Cæcus namque si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

Matt.15

Hoc argumentum non nostra infirmat, sed confirmat ac seipsum euertit. Si enim cœlesti visione Petrum ab errore Deus liberauit, & aliorum Pontificum errores per eorum successores mox correxit, manifestum est quantam gerat curam cathedræ Petri: dum in ea sedentem, pro aliorum salute ab errore eximit, et antequam erronea cõsultatio in Ecclesiam Christi peruagetur, per successorem eiusdem cathedræ corrigit, vt ad ecclesiam priùs perueniat erroris correctio quam ipse error pontificis. Siquidem haud necesse est ex Christi promisso docere, personam pontificis non posse in religione errare (vt & supra dictum est) aut dum vt priuata persona, vel particularis diœcesis Episcopus agit, siue quamdiu eius sententia veluti priuatæ personæ est

occulta

occulta, nihil falsi posse alijs tradere: sed hoc habet Christi promissio, quód Petri siue successoris eius fides nunquam ita deficiat quin semper sit ecclesiam, dum a portis inferi oppugnatur, firmaturus, ne illæ præualeant. Quando ergo Pontifex toti ecclesiæ Christi aliquid præscribit credendum, tunc proprie officio Petri fungitur, tunc fides eius non solùm non deficit, sed etiam firmat ecclesiam. Hoc verò tunc proprie facit, cum controuersię exurgunt, & fideles ab eo pabulum postulant: alioqui dum nihil quæstionis est circa doctrinam fidei exortum, Pontificis est priùs definita diligenter custodire, non noui aliquid pro suo libitu definiendum comminisci. Etsi igitur ipse Pontifex erret in priuato suo iudicio, non tamen dicendum est quod sit dux cęcus. Dum enim ducem agit, iam non cæcus agit, sed a Deo, etiam si (quod absit) ei displiceat, in lucem dirigitur. Vnde locum hic non habet Christi illa parabola: Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Absit enim vt cæcus dux sit ille, de quo Christus dixit: Non deficiet fides tua. Absit vt Ecclésia Christi cæco qui ducitur ab altero cæco, comparetur, de qua scriptum est, Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur: Cui promisit Spiritum docentem omnem veritatem.

Luc. 22. Matt. 16. Matt. 15. Luc. 22. Esa. 60. Ioan. 16.

Ad ipsa exempla, ex quibus probatur Pontifices errasse, respondeamus. Errores illi de matrimonio dissoluendo: inconsummato quidem per sequens consummatum, consummato verò fidelium, per alterius hæresim: non sunt a Pontificibus

tificibus toti ecclesiæ tanquam fide credendi pręcepti. Imó nemini credendos eos pręceperunt, sed tantùm consulentibus se dixerunt, quid agendum sibi videretur circa illos casus: nemini pręscribentes quin re obscurissima clarius elucidata aliter sentire liceret: quia de illis rebus non erant exortæ quæstiones, quæ veritatem liquidam redderent: & statim per ipsam Petri cathedram priuatus Pontificum error est monstratus, priusquam Christi Ecclesiam inficeret.

Similiter nec Honori' mandauit, ab omnibus credendũ vnam tantum esse in Christo voluntaté, etsi forte priuato errore id putauerit scripseritque. Vide autem Dei misericordiam circa directioné cathedræ Petri. Cùm Honorio immediaté successisset Seuerinus (nõ Bonifacius, Bonifacium enim pręcessisse ipsum Honorium satis docet Beda: idque tanto certiùs, quanto ex ipsorum Pontificum literis ad diuersos Anglorum reges adhuc Neophytos & episcopos datis, clarius cognoscere potuit) qui tantum vno anno sedit, Seuerino Ioánes (qui & annum tantùm sedem rexit) & Ioanni Theodorus: hic Theodorus Pyrrhum patriarcham Constantinopolitanum ad se venientem, & libellum pænitentię super Monothelitarum hæresi offerentem, ecclesiæ reconciliauit, & pòst iterum in eandem hæsim relapsum deposuit, & anathematizauit. Ex quo clarum est, hæresim Monothelitarũ antè a sede Apostolica per Ioannem, aut Seuerinum, vel ipsum Honorium, fuisse anathematizatam. & cla-

Li. 2 hist. Anglo. c. 4. 8. 10. 17 & 19.

In libro Pontificali.

& clarisimè constitit ex reconciliatione eximij patriarchæ, & iterata anathematizatione, quæ esset fides sedis Apostolicæ de Christi voluntatibus, antequam priuata illa epistola Honorij, hæresi iam primum exurgente nondumque innotescente scripta ad Sergium, nota esset. Et hæc quidem locum habent, si vera sint quæ de errore Honorij feruntur. Cæterum longe probabilius est, quod Episcopus VVarmiensis reuerendisimus dominus Cardinalis Stanislaus Hosius scribit: falsam esse hanc historiam de errore Honorij, libròsque qui eum recensent, ab æmulis Sedis apostolicæ esse falsatos. Id quod frustrà impugnat quidam catholicus scriptor qui cum fateatur sextam synodum duobus in locis vitiatam a Græcis, tamen verum esse quod de Honorij errore fertur, ex posterioribus quibusdam scriptis vel parum certis, vel post corruptionē sextæ synodi simpliciter scriptis astruere conatur, non recensens interim neque diluens reuerendisimi domini Hosij argumentum, ex verbis Agathonis Papæ ad Imperatorem scriptis desumptum. Dicit enim Agatho, Iuxta Christi statutum ad Petrum, Confirma fratres tuos, semper præcessores suos confidenter confirmasse omnes fratres suos: & hoc cunctis esse cognitum, & nominatim in euersione hæresis Monothelitarum. Quod verbū intolerabile & impudens est mendaciū, si Honorius, qui nō ita diu Agathonem præcesserat, hæresim Monothelitarum confirmauit. Et tamen ipsa 6. Synodus dicit, per Agathonem Petrum locutum esse.

Lib. contra Brentij prolegumena.

4 actione sextæ Synodi.

Actio 18.

Contra

Contra eundem Brentium ſcribens reuerendiſsimus Hoſius memoria dignam refert hiſtoriam Vigilij Pontificis: qui vt ambitioni ſuæ ſatisfaceret, & Pontificatum occuparet, promiſit hæreticum patriarcham Conſtantinopolitanū, à prçceſſoribus Pontificibus depoſitum, ad ſedem ſuam reducere, imò Syluerium ipſum, qui tum Romæ præerat, in exilium malis artibus deportari curauit, & eo in exilio agente ſedem inuaſit. Verum eum iam Syluerio vita functo, velut Pontifex & Petri ſucceſſor receptus eſſet ab eccleſia, longe alium ſpiritum induit (vtique ex Chriſti promiſsione, quam cathedræ Petri præſtitit) paratus nimirum potiùs quiduis afflictionis ſufferre, quam hæretica communione ſe aut Petri ſedem vel in ſpeciem maculare.

Abſurdiſsimum autem eſt quòd dicitur Petrus vſque ad viſionem Act. 10. a Luca deſcriptam, ignoraſſe gentibus eſſe euangelium prædicandum, vel legis cæremonias a Chriſto eſſe abolitas. In euangelio enim mandat Chriſtus apoſtolis, vt eant in mundum vniuerſum, prædicent euangelium omni creaturæ, doceantque omnes gentes. Et ne quis putet hæc ab Apoſtolis intellecta non fuiſſe, teſtatur Lucas quòd aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas. Quid verò intellexerint in ſcripturis contineri, dicit Lucas, quando ſubiungit Chriſtum dixiſſe Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes etc. Ridiculum

Mar. 16.

Matt. 28.

Luc. 24.

culum est dicere Apostolos non intellexisse voculam, Gentes: cum ante inellexissent Christum dicentem: In viam gentium ne abieritis. Matt.10. Petrus Act.1. ante Spiritum sanctum missum. ostendit se intellexisse scripturas psalmorum in electione Matthiæ; & Act.2. & 3. Spiritu S. iam misso, allegat Psalmos, Ioelem, Genesim & Deuteronomium: idque expresse, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Genes.22.

Sed forte dices, Apostolos quidem putasse quod Gentilibus euangelizare oporteret, sed tum demum, cûm circuncisi essent, & proselyti facti. At & hoc friuolum esse ostendunt Samaritani, quibus Philippus sicut & Azotijs euangelizauit non imposita lege. Pro quibus excurrerunt Apostolorum præcipui, & orarunt pro eis vt Spiritum sanctum acciperent, lege Mosaica eis non imposita. Act.8. Satis sciebant Apostoli cæremonias euacuandas: quia Christus prædixerat Hierusalem & templum euertenda: sine quibus Lex seruari non poterat. Matt.24. Non obliti erant Christum soluisse sabbatum, dum iusserat grabatum ferri: ideoque audebant communicare Samaritanis: quod tamen Iudæis illicitum erat. Ioan.5. Ioan 4. Audierant a Christo typicum agnum implendum in regno Dei: sciebant ergo cæremonias abolendas. Luc.22. Quod insuper & ex Stephano (qui certe nõ erat Apostolo Petro illuminatior) clarum est. Act.7. Nam a falsis testibus iudicatus est esse Moysi aduersarius, quia ea dixerat quę a Christo prædicta leguntur apud Mathæum, Marcum, & Lucam de excidio Hierusalẽ, templi, & gentis Iudaicæ. Matt.24. Mar.13. Luc.21.

Visio

Visio igitur cœlestis Petro apparuit partim propter ipsum, partim propter alios. Propter ipsum quidem, vt disceret iam adesse tempus annunciandi gentibus euangelium. Audierant enim Apostoli a Christo iam ascensuro: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Intelligebantque ex Christi verbis, inchoandam euangelij prædicationem à Hierusalem: illincq; transeundum ad reliquam Iudęam, tertió ad Samaritanos, qui cũ libros Moysi reciperent, & Deũ Abrahæ, non tantum distabant a fidelibus Iudęis, quantum falsorum deorum cultores: in quos postremo intelligebant Apostoli euangelium propagandũ. Ideo igitur diu manebant in Hierusalem, vt euidenter compleretur illud: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et licet in persecutione Stephani fideles dispergerentur, apostoli tamen fixi permanebant. Narrat Apollonius Saluatorem Apostolis præcepisse, ne ab Hierusalem ante duodecimum annum discederent. Non igitur est absurdum, si Petrus expectauit tempus & oportunitatem euangelizandi gentibus, subdubitans num illud iam adesset: sicuti Paulus sciens gentibus omnibus quandoque euangelizandum, prohibitus est quibusdam loqui, Asianis scilicet: & cœlesti visione ad Macedones est vocatus. Cyrillus dicit: Petrus adhuc cupiebat iudaicis moribus immorari, & ad meliora progredi tardus erat ex reuerentia erga figuras: & ideó cœlesti visione didicit tempus esse mutandi in veritatem vm-

Act.1. Ioan.4. Esa.2. Act.8. Li.5.hist. eccl.c.18. Act 16. Li.9.cõtra Iulianũ apostatam.

tem vmbras. Propter alios vero apparuit hæc visio Petro, qui sentiebant Gentibus non esse annunciandum euangelium, & legalia obseruanda. Eorum: in visione personam gesit Petrus: sicuti Paulus in se & Appollo sermone figurato transfigurauit vanos doctores & gloriosulos, qui gaudebāt sibi tribui discipulos. Vt igitur Petrus talibus respōderet, se non proprio capite prædicasse gentibus, sed cœlesti visione iussum id fecisse, apparuit ei visio. Vnde quum vnica ei instituendo sufficere posset, ter tamen videt visionem, ter audit: Quæ Deus purificauit, tu ne commune dixeris: vt designetur quam difficile potuerit pharisaica opinio è cordibus multorum euelli: quodque plerique multo tempore iudicaturi erant non esse communicandum gentibus euangelium, etiam datis cœlestibus indicijs, quibus hic eorum error conuinceretur. Pulchre autem Petrus ecclesiæ caput, & præfectorum personam in visione sustinet, dum ei dicitur: Macta, & manduca: hoc est, in corpus ecclesiæ traijce gentes: & eorum qui specie pietatis illusi essent contradicturi, dum ait: Absit domine, quia commune nunquam introiuit in os meum. Vnde eum in locum Chrisostomus: Nunquid (ait) Petrus timuerat comedere? absit. Sed dicit, diuina dispensatione totum hoc factum esse, propter eos qui ipsum erant reprehensuri. Tanta enim cura (ait idem Chrysostomus, homil. 52. in Matth.) obseruatio ciborum defendebatur: tanta existimatione hominū muniebatur, vt vel post resurrectionem Petrus

Act.10.

1.Cor.4.

Act.10.

dixerit:

dixerit: Non domine, quia nunquam commune quid, aut immundum quid comedi: etsi aliorum gratia hæc dicebat, & vt satisfactionem ad accusantes præpararet cùm se contradixisse ostenderet, nec quicquam efficere potuisse; magnam tamen monstrat de hac re curam & opinionem hominum fuisse.

Summatim repetitur explicatio promissionis factæ cathedræ Petri. *Caput 11.*

QVo igitur paucis complectamur ea quæ hactenus dicta sunt circa Christi promissionẽ, qua promisit per Petrum eiusque successores custodire doctrinam fidei: arbitramur non pertinere hanc promissionem necessario ad priuatam Pontificis, quam in corde coram Deo habet fidem, quasi ea deficere nequeat, neque ad ea quæ alijs in occulto tradit, vel priuatim consultus respondet aut docet, vel nulla in ecclesia quæstione exorta aut contra aperte prius definita, aut fratrum pastorum, doctorumque ecclesiæ consilio non adhibito, definire teneat, aut docet. In his enim aut vt alius quilibet fidelis, aut vt alius ecclesię particularis pastor, aut vt impius vel temerarius est habendus, nec Petræ Ecclesiæ officio fungitur: sed cùm in Ecclesia quæstio aliqua religionem christianam concernens exoritur, & ad eum a fidelibus ea refertur, illeque consideratis prius definitis, adhibitoque pastorum inferiorum consilio, pręscribit, & præcipit toti ecclesiæ quid fide sequatur: tunc locum habet Christi promissio de fide

fide, eius non defectura, sed fratres omnes confirmatura. Sic enim semper Petri successores immaculatam fidem custodisse legimus: quanquam & in priuatis consultationibus, in quibus alijs particularibus episcopis similes sunt, longe excellentiores misericordia diuina Petri successores fecerit: etiam hoc modo plærunque fideles confirmans. Denique hoc diuina misericordia prouidit per ipsam sedem beati Petri, vt priuatos errores, siue imperitia & rerum inexperientia, siue malicia, Petri successoribus subrepẽtes (cuius tamen certum exemplum non habemus) statim per eandem sedem aboleret, vt ecclesia non nocumentum, sed tutelam in fide, à Petri sede semper susceperit, omnibusque modis firma sit Christi vera promisio. Hæc est (inquit Agatho: præmissa fidei confesione, ad ipsum Imperatorem scribens) veræ fidei regula, quam & in prosperis & in aduersis, viuaciter tenuit ac defendit spiritualis mater vestri tranquillisimi imperij, apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, sed, vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris euangelijs fatus est: Petre, Petre inquiens, Ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos, sicut qui cribat triticum: ego autẽ pro te rogaui, vt non deficiat

Luc. 22.

fides tua : & tu aliquando couerſus confirma fratres tuos. Conſideret itaque veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius ſedes eſt, qui ſedem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidẽter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum: quorum & puſillitas mea licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere.

INDEX RERVM VTROQVE HOC *libro contentarum.*

Apoſto-

cor ho-

Lex pec-

Timor

FINIS.